Universitätsbibliothek Paderborn

# Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem, ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

Liber Tertius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Visual Library

# CORNELII IANSENII
## EPISCOPI IPRENSIS
# DE HÆRESI PELAGIANA
## LIBER TERTIVS.
## Quo continentur dogmata Pelagianorum ad ſtatum naturæ lapſæ ſpectantia.

---

### De peccato originali. Variæ Scripturarum corruptelæ.
### CAPVT PRIMVM.

NVNC quid de hominis lapſi ſive ex Adam propagati ſtatu Pelagiani ſenſerint, deinceps conſiderandum eſt, & quidem primum hominem mandatum Dei tranſgrediendo peccaſſe, nulla inter ipſos fuit dubitatio, vel à Catholica veritate diſſenſio: de peccati illius effectu, propagatione, & pœnis maxima, de quibus ordine ſuo diſſeremus. A

Itaque dogma Pelagianorum veluti cæterorum omnium baſis erat, *quod peccatum Ada ipſum ſolum læſerit & non genus humanum*; cui erat conſectaneum, *Quod infantes nuper nati in iſto ſtatu ſint in quo Adam fuit ante prævaricationem*. Quæ quidem tanta docuerunt ab initio uſque ad finem præſumptione & pervicacia ut Pelagius diceret eos *inſanire, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum*. Nam quamvis apud Paleſtinos Epiſcopos accuſatus eos anathematizaſſet qui ita ſentirent, verſuta tamen expoſitione totum retinens quod abjeciſſe videbatur, diſcipulis ſuis dixit, ideo ſe illa quæ Celeſtius nunquam neque Carthagine neque Romæ nec ipſius damnationis metu damnare voluit, ſibi objecta damnaſſe, quia & ipſe diceret *etiam humano generi primum illud obfuiſſe peccatum, non propagine ſed exemplo*: hoc eſt, *non propagatione ſed imitatione*. Imitatio enim iſta erat *novitium Pelagiani erroris machinamentum*, quam, inquit Auguſt. *in magnis anguſtijs conſtituti & perſequente vos veritate, coarctati inveniſſe vos putatis, qua exire poſſetis*, à ſcripturarum videlicet maximeque Apoſtoli autoritate qua premebantur. Cùm enim antiquo illo peccato *ſicut nihil eſt ad prædicandum notius ita nihil ſit ad intelligendum ſecretius*. Parum etjam conſtituebat Auguſtinus in naturali ratione præſidij, ſed ſcripturis inhærens apertiſſimis, hoc ſaltem agebat apud eos qui ſcripturas quoquo modo venerabantur, ut ſi mens nondum eſſet idonea quæ poſſet illud vel demonſtratum cernere vel abſtruſum inveſtigare ſaltem ſine ulla hæſitatione crederetur.

*Lib. de geſtis Palag. c. 11. & ult. & de pecc. orig. c. 3. 4. & 13.*

*In c. 7. ad Rom. nu. 18.*

*Aug. lib. de pecc. orig. c. 15. lib. 1. cont. Iul. c. 5. Ibid. c. 7. Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 427.*

*Aug. lib. de morib. Ecc. c. 22.*

B

C

Contra vero Pelagiani totum argumentorum ſuorum robur in obſcurata tenebris originalibus corruptaque ratione collocantes, ſcripturas omnes ſibi adverſantes, quamvis divinâ luce clariſſimas in neſcio quos novos ſenſus pravoſque convertebant: eaſque ut Iulianus venditabat ex certiſſima rationis regula explanabant. Nam imprimis per illud Iob *Nemo mundus à ſorde &c.* Pelagius probare conabatur *ſordes pannorum ſignificari in infantia non vitia peccatorum*. Expoſitio non minus ridicula, quam illa extorta tranſlatio quæ locum Apoſtoli ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, *eramus natura filij iræ, novo more, ſed impudentiſſimo ore interpretati ſunt, eramus prorſus filij iræ*, ne humana nativitas iræ Dei ab ortu ſuo obnoxia crederetur. Prorſus autem iræ filios dici volebant propter contractam jam inde à teneris annis *peccandi conſuetudinem*.

*Lib. 1. & 2. contra Iul. oper. imperf. paſſim.*

*Hieron. lib. 2. dial. adverſus Pelag.*

*Epheſ. 2.*

*Aug. lib. 2. cont. Iul. oper. imperf. f. 452.*

Sed præ cæteris ſcripturis operoſam illam Apoſtoli ad Romanos diſputationem verebantur; cujus nexibus ut quoquo modo elaberentur, omnia pœne verba ejus tam recta & tanta luce fulgentia tenebroſis ac tortuoſis interpretationibus obſcurare ac depravare nitebantur. Quo ut commodiorem ſternerent viam *luce clarius* eſſe clamitabant, illo loco Apoſtolum *de peccato voluntatis humanæ quæ in unoquoque peccante eſt, locutum fuiſſe*, non de illo peccato *quod ante voluntatis tempora, ante obedientium ſtudium, ante ſcientiæ & conſcientiæ ætatem ipſis ſupervolaſſe ſeminibus à Manichæis hoc eſt Catholicis fingeretur*. Cùm enim ibidem exhortetur Apoſtolus: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum &c.* inferebant *omni malo maius fore malum inſaniæ qua Apoſtolus teneretur, ſi devotionem in rebus naturalibus cavendis exigeret*. Hoc jacto fundamento totum Apoſtoli ſenſum pervertebant. Nam, aiebant, ob hoc mentionem facit *unius hominis*, non à quo peccatum ſeparat, conſtat enim, inquiunt, prius mulierem *Evam* deliquiſſe, ſed qui per privilegium ſexus magiſterium occupaſſet delicti. Per hunc ergo *intravit peccatum*, imitãdo non generando.

*Apud Hier. in Comment. 2. c. ad Epheſ. & Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 10. Pelag. in c. 2. ad Epheſ.*

*Cap. 5. propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit &c.*

*Lib. 2. contra Iul. oper. imper. f. 447.*

*Cont. Iul. lib. illo 2. citato f. 451.*

*Rom. 6.*

*Ibid. lib. 2. fol. 448.*

*Pelag. in Comment. & Iul. lib. 2. oper. imper. f. 384.*

Generatio

*Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 263.*

Generatio enim non per unum ſed per duos efficitur, imitationi verò vel unus ſufficit. *Et per peccatum mors* non corporis quæ naturalis eſt, ſed *ſine dubio quæ peccatoribus*, id eſt, *æterna promittitur.* Quæ tranſivit forma vel exemplo ſive imitatione non generatione. Subdidit enim *in quo omnes peccaverunt*, hoc eſt, quia omnes peccaverunt ſecundùm illud Davidicum: *In quo corrigit Adoleſcentior viam ſuam*, omnes autem pro multis ponit quia paulò poſt multi vocantur, tamen in omnes mortem tranſire dicit *quia in multitudine peccatorum non excipiuntur pauci iuſti, ſicut ibi: Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Quia ergò multi peccaverunt unum hominem Adamum imitando, ideò etjam in illos mors animæ tranſivit. Nam ſi generationem peccato aut infectam aut obnoxiam voluiſſet oſtendere, non dixiſſet per unum hominem intraſſe peccatum ſed per duos, quibus conſtat generatio. *Vſque ad legem enim Moyſis peccatum erat in mundo*, non prævaricatio, quia contra legem naturæ non Moyſi peccando homines, peccati, non prevaricationis erant rei. Vſq; ad legem autem peccatum regnaſſe dicens, oſtendit regnum peccati lege lata cecidiſſe, unde cum peccatum non potuerit manere poſt legem actionis illud non nativitatis eſſe convincit. *Sed regnavit mors* &c. æterna, quam Adæ ſi peccaſſet, ſe aſſcripturum Deus ſpoponderat igitur illa mors peccato debita, pœnalis, non naturalis regnavit non ſolum poſt legem ſed etjam ante legem: *Ab Adam uſque ad Moyſen; etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, quia videlicet nullam legem ſibi datam prævaricando tranſgreſſi ſunt ſicut Adam Dei mandatum, ſed ſola naturali lege redarguente & convincente deliquerunt. *Qui eſt forma futuri*, id eſt, Chriſti: verum forma à contrario, ut ſicut ille peccati ita & hic juſtitiæ forma, hoc eſt, exemplum imitantibus propoſitum eſſe credatur. Sed ſicut incarnatio Chriſti juſtitiæ fuit forma non prima ſed maxima; quia & antequam caro fieret, in multis ſanctis fulſere virtutes, ita etjam Adam dicitur forma peccati non prima ſed maxima. *Sed non ſicut delictum ita & donum*, ne in forma æqualitas putaretur. *Si enim unius delicto multi*

*Ibid.*

*Ibid. lib. 2. fol. 385. & lib. 6. cont. Iul. c. 24.*

*Pelag. in Comment.*

*Lib. 2. operis imperf. f. 394*

*Pelag. in Comment.*

*Et Iul. loco cit. f. 398.*

*Iul. ibid. fol. 407. & 438.*

*Iul. ibid.*

*Pelag. ibid. & Iul. fol. 399. & 400*

*Iul. lib. 2. operis imperf fol. 401. & 402.*

*Et Pelag. in Comment.*

*Pelag. in Comment.*

A *mortui ſunt multo magis gratia in plures abundavit.* Superari dicit malum delicti copia gratiæ, & eorum qui ſalvantur numerum, illis quos prævaricatione ſicut Adam periſſe aſſerit qui ſoli Iudæi ſunt, anteponit. Per quod oſtenditur, nec mortem illam communem & naturalem intelligi quia non multos tantum, ſed omnes etiam juſtos capit: nec Apoſtolum de peccato naturali loqui. Si enim illo peccato omnes mortui, & inde in extrema ætate mundi, aliqui per Chriſtum liberati putantur, quæ veritas eſt, aut quæ autoritas ejus magiſtri qui contra tam clarum teſtimonium totius mundi, dicit in plures juſtitiam abundaſſe quàm culpam? *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum*, Adam, qui fuit exemplum peccati, & in cujus ſimilitudinem prævaricantur ſub lege peccantes, *multo magis qui abundantiam gratiæ accipiunt* quæ gratia virtutem Chriſti imitantibus prodeſt, *in vita regnabunt*, vita in B qua regnabunt Sancti, æterna monſtratur, ergò & mors quæ iniquitatem voluntariam ſequitur, æterna credatur. *Itaque ſicut per unius delictum in omnes homines* &c. *ſic* &c *ſicut enim per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi ita & iuſti conſtituentur multi.* Omnis hic eſt ſolita perplexitas: impudenter de univerſitate calumnia concitatur, ineptiſſime in ſcirpo nodus quæritur. Pronuntiat Apoſtolus non omnes eſſe ſed multos qui per inobedientiam primi hominis peccata didiciſſent: & multos eſſe non omnes qui per alterius obedientiam juſtitiam eſſent adepti. Nihil hic de exortu humanitatis agitur, mores in diverſis ſtudijs publicantur, inobedientia & obedientia ſtudiorum operam non generationis oſtendunt. Ac per hoc deſtruit opinionem peccati naturalis & docet alias eſſe cauſas ſubſtantię, alias voluntatis. Atque iſtis quidem perverſiſſimarum interpretationum ludificationibus C veluti ſcuto cętra præcipuas Scripturas quibus eos Eccleſia ſuffocabat utebantur quibus velut tecti confidentiſſime aſſerebant nemini eſſe credendum *tam ſtultam, tam inſanam, tam impiam ſententiam Apoſtoli volumine contineri, ut æſtimet amorem & neceſſitatem criminum ſubſtantiæ ſuæ cauſis, id eſt, ipſis adhæſiſſe ſeminibus.*

*Iul f. 415. & 418.*

*Pelag. in Comment.*

*Iul. lib. 2. operis imperf fol. 417.*

*Iul. ibid. fol. 423. & 24.*

*Iul. ibid. fol 426.*

*Iul. lib. 2. apud. Aug. contra Iul. operis imperf fol. 349.*

## Rationes quibus peccatum Originale oppugnant.

## CAPVT SECVNDVM.

AD expugnandam verò Catholicam A de peccato originali fidem mirum, quot humanis ratiunculis, velut parricidalibus pugiunculis armati proſilierint: ex quibus potiores ut accuratius res tota percipiatur, ad duo capita revocari poſſunt. Aliæ namque quandam ſpeciem præferebant oſtenſivæ probationis, aliæ ad abſurditatis impietatiſque prærupta ducebant.

Et prima quidem capitalis ratio, quâ pœnitus rem confici non dubitabant, ex peccati definitione petebatur. Nullum enim peccatum eſſe vel eſſe poſſe ſtatuebant niſi eſſet *voluntas adipiſcendi vel retinendi id quod iuſtitia vetat & unde liberum eſt abſtinere.* Voluntas autem cum ſit motus animi liber, ejus eſt qui jam per ætatem judicio rationis uti poteſt: qui ſicut habuit voluntatem malam ita potuit non habere, qui autem naſcuntur, uſum rationis non habent

*Ita definit Iul. ex Aug. lib. 1. operis imperf. f. 37. & 38. Ibid. fol. 43.*

habent, igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem, atque his irrefutabiliter conceſſis nec aliquod omnino peccatum. Nam, inquit Iulianus, *nihil eſſe peccati in homine ſi nihil eſt propriæ voluntatis, vel aſſenſionis, hoc mihi hominum genus quod vel leviter ſapit ſine dubitatione conſentit.* Quod argumentum multis in locis ad faſtidium repetit. Invidioſiſſime enim paſſim inculcabant *peccatum non poſſe naſci cum homine quod poſtmodum exercetur ab homine; quia non naturæ delictum ſed voluntatis eſſe demonſtratur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id ſolum in homine eſt quod Deus condidit. Nemo enim naturaliter malus eſt, ſed quicumque reus eſt, moribus, non exordijs accuſatur. Nam ante voluntatis propriæ uſum, innoxia in uno quoque natura laudem aut reprehenſionem ex propoſito accedente meretur.* Ex quo fit ut *deformis ſit & vana ſententia quæ conſcientiam ſine ſcientia parvulis conatur aſſcribere. Abſolute enim vindicatur à crimine qui ipſa rei impoſſibilitate defenditur.* Ex hoc itaque principio acerbas illas calumnias connectebant, & impingebant Catholicis, quod fingerent *malum*, ſive *peccatum eſſe naturale*, & impietate Manichæa naturalem malitiam imo naturam malam aſſererent. Quod & ſexcenties calumnioſiſſime repetunt. Ita Iulianus quaſi unicam affert notam qua Catholici à Pelagianis diſcernendi ſunt. *Hæc ſemper fuit maximum inter Manichæos* (ſeu Catholicos) *Catholicoſque* (id eſt Pelagianos) *diſcrimen, & limes quidam latiſſimus quo à ſe mutuo piorum & impiorum dogmata ſeparantur; imo magna moles, quaſi cœli à terra profunditate diſiungens, quod nos omne peccatum voluntati malæ, illi vero malæ eorum naturæ* (tribuunt.) *Qui cum diverſos ſequuntur errores, ſed veluti de capite fontis iſtius effluentes conſequenter ad ſacrilegia flagitiaque perveniunt.*

Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 70.
Lib. 3. cont. Iul. c. 1. & 5. & lib. 6. c. 9. & 10.
Lib. 4. ad Bonif. c. 2.
Celeſt. lib. de pec. orig. c. 6.
Pelag. lib. de pec. orig. c. 13.
Iul. lib. 1. operis imperf. fol. 176.
Lib. 2. f. 225.
Lib. 5. cont. Iul. c. 1.
Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 44.
Vide lib. 1. cont. Iul. c. 1. lib. 2. de nup. c. 3. & 29. & alibi ſæpiſſimè.
Apud Aug. lib. 1. operis imperf. f. 23.

Iſti primæ rationi cohærent aliæ: una, quia *quod admoneri non poteſt ut caveatur, imputari non poteſt ut puniatur. Nunquam autem legiſlator ad hanc venit amentiam, ut præceperit cuiquam, noli ita, vel ita naſci.* Altera etjamſi præciperetur ut tamen præceptum obliget, debet eſſe poſſibile. *Amittit enim autoritatem iudicandi qui modum non tenuit imperandi.* A parvulis autem nullum præceptum impleri poteſt. Tertia, non poteſt jure imputari quod non poteſt caveri: *Nemo autem poteſt cavere naturalia; igitur nullus prorſus habere poteſt de natura neceſſitate peccatum.*

Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. fol. 284.
Lib. 3. cont. Iul. c. 18.
Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 85.

Quinta ratio eſt, fieri non poteſt, *ut res arbitrij, ſtudiorum & voluntatis conditioni hominum miſceatur.* Peccatum autem eſt res arbitrij, ſtudij, voluntatis; non poteſt igitur ſeminatione transfundi.

Lib. 6. cont. Iul. c. 9. & lib. 2. cont. Iul. operis imperf. folio 285. & fol. 230.

Sexta. *Res quæ in ſubiecto eſt, ſine illa re eſſe non poteſt, in qua ſubiecta eſt*; malum autem eſt in parente utique in ſubjecto, igitur *alij rei, id eſt proli, ad quam non pervenit, reatum non poteſt tranſmittere.*

Lib. 5. cont. Iul. c. 24.

Septima. *Naturalia per accidens converti non poſſunt*, id eſt id quod in parente eſt, accidens voluntatis vitium, non poteſt fieri filio naturale. Sed peccatum Adæ fuit ejus ex accidente vitium, non igitur potuit innaſci naturaliter filio.

Lib. 6. cont. Iul. c. 6.

Octava, tametſi peccatum poſſet generatione propagari, à duobus tamen conjugibus baptizatis non poteſt. *Per rerum enim naturam fieri non poteſt ut illud probentur tradere parentes quo caruiſſe creduntur, in coniugibus autem baptizatis nullum remanet malum ex quo generentur mali*, quia quidquid in eis mali erat baptiſmo dimiſſum eſt. Hoc ſane argumentum Pelagiani *acutiſſimum* eſſe cenſebant. Cui accedit quod *corpus mulieris baptizatæ ſit templum Dei.* Incredibile eſt autem in *utero eius hominem ſub diabolo futurum, niſi renaſcatur ex Deo, poſſe formari.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 7. & lib. 3. de pec. merit. c. 3.
Lib. 2. cont. Iul. c. 1. & 9.
Aug. Epiſt. 105. verſ. fin.
Lib. 6. cont. Iul. c. 24.

Nona, ſi dicatur ſupereſſe in baptizatis concupiſcentiam ſeu libidinem cujus motu in prolem culpa transfunditur, è contrario, illa eſt [a] *naturalis & bona probabilis in genere ſuo* [b], *affectio naturalis & innocens*; [c] *nec ulla mali neceſſitas in carne*, ergo per illam non poteſt peccatum tradi. Quam rationem tanti fecere Pelagiani ut ad eam deſtruendam nati ſint omnes libri, quos Auguſtinus contra Iulianum ſcripſit.

a Lib. 4. cont. Iul. c. 2.
b Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 100. & alibi ſæpè.
c Lib. 3. cont. Iul. c. ult.

Decima, *Si nec parenti poſt converſionem obſunt peccata propria, quanto magis filio eius obeſſe non poſſunt? nullâ enim ratione conceditur ut Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.*

Lib. 2. de pec. merit. & remiſſ. c. 27.

Vndecima, *Hæc forma etiam in homine malo obſervari debuit, quæ ſervatur in diabolo*: ſed diabolus *non damnatur niſi ex vitijs propriæ voluntatis*, ergo &c.

Lib. 3. de pec. merit. c. 8. & lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 65.

Denique ne ſcripturarum autoritate deſtitui viderentur cauſæ ſuæ quaſi fortiſſimum firmamentum Iulianus eſſe volvit propheticum teſtimonium, quo per Ezechielem dictum legimus, *quod non erit parabola quæ dicebant, parentes uvas acerbas ediſſe & dentes obſtupuiſſe filiorum, nec morietur filius in peccato patris, nec pater in peccato filij, ſed anima quæ peccat ipſa morietur.*

Lib. 6. cont. Iul. c. 20.
Lib. 6. cont. Iul. c. 25.
Ezech. 18.

## Abſurda quæ ex Originalis peccati fide à Pelagianis inferuntur.

## CAPVT TERTIVM.

ABſurditates vero quas ex originali peccato conſequi putabant erant iſtę. Primò. *Si peccator genuit peccatorem, iuſtum quoque iuſtum gignere debuiſſe*; ſed hoc abſurdum, ergo & illud. Cui ſimile & iſtud, *quod natus de baptizato habendus eſſet velut baptizatus.*

Lib. 2. de pec. merit. & remiſſ. c. 9. & 25.
Ibid. c. 25.

Secundò, ſequeretur *peccata omnium parentum omnibus filijs imputari.* Tertiò, *peccatum eſſe ſubſtantiam.* Quartò, *parvulis melius eſſe non naſci.* Quintò,

3. Contra Iul. c. 23.
Indicatur lib. 5. contra Iul. c. 1.
Lib. 5. c. 11.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Lib. 1. cont. Iul oper. imperf. f. 70. & lib. 2. f. 283.
Lib. 2. cont. Iul. c. 1. & 9.

Quintò, *à parvulis auferri non poſſe; quoniam quod naturale eſt & innaſcitur uſque ad finem eius, cui à principiorum cauſis innaſerit perſeverat.* Sextò, deſperationem perfectionis ſeu perficiendæ virtutis ingeri; *quia ingenerata vitia incredibile eſt poſſe conſumi, quæ iam nec vitia deputanda ſunt; non enim peccat qui non poteſt alius eſſe quam creatus eſt.* Septimò, immo numquam hominem fieri poſſe bonum, unde Iulianus: *Si aliquis malus condi poſſet nunquam in bonum ablatione tranſiret.* Octavò, *Parentes eſſe iure damnabiles, imo comparari parricidis, in quibus ſit cauſa ut filij cum damnatione naſcantur; & ut ad dominatum exercendum in homines diabolus perveniret.*

Lib. 4 contra Iul. c. 7.
Lib. 5 cont. Iul. c. 10. & lib. 3. c. 24.

Nono, tanquam certiſſimum inferebant nuptias vel etjam nuptialem concubitum damnari & à diabolo eſſe inſtitutum, *ſi aliquid unde damnabiles generentur habere credantur. Si trahitur de nuptijs origine malum,* inquit Iulianus, *cauſa mali eſt conventio nuptiarum. Omnis autem* B *cauſa mali eſt expers boni. Accuſari ergo poſſunt excuſari non poſſunt.* Et alibi: *nuſquam ſine commixtione nuptia corporales, tu dicis, quicunque ex illa commixtione naſcuntur, ad diabolum pertinere; dubio procul pronuncia nuptias ad ius dæmonis pertinere.* Huc trahebant & illud Chriſti, *ex fructibus ſuis arbor cognoſcitur: neceſſe eſt enim malum eſſe per quod & ex quo malus fructus apparuit. Quomodo, ergo, tu audiendus putaris, qui dicis bonum eſſe coniugium, de quo nihil aliud quam malum prodire defines? Cong at igitur mala eſſe coniugia, ſi peccatum inde originale deducitur nec poſſe defendi niſi fructus eorum innocens approbetur.*

Lib. 2. cont. Iul. c. 1.
Lib. 3. cont. Iul. c. 24: & 23. & lib. 2. de nupt. c. 26 & 27. & alibi paſſim:
Lib. 1: oper: Imperf: contra Iul. f. 71
Lib. 2: de nupt: & concup: c: 26

Decimò, ſimili modo arguebant; *peccatum originale eſt vel ex* voluntate vel ex natura: *Si ex voluntate, mala eſt voluntas quæ peccatum facit, ſi ex natura, mala natura.* Supponebant autem non eſſe ex voluntate, qua parvuli carent, ergo ex natura. Nec diſſimiliter inferebant ma- C lam eſſe commixtionem, ſexus corpora, fecunditatem ut libro ſecundo de nuptijs paſſim videre licet; vel ſi illa bona ſunt parvulos omnes eſſe iniquitatis immunes. Quo ut pertingerent, inſinuare ſe nitebantur cordibus parum intelligentium laude operum divinorum, hoc eſt *laude naturæ humanæ, laude ſeminis, laude nuptiarum, laude utriuſque ſexus commixtionis, laude fœcunditatis, quæ cuncta bona ſunt.* Quin etjam laude libidinis, per quam dicebatur culpa propagari: ut inter tot præſidia innocentiæ nulla pateret rima qua peccatum ſugi poſſet ingreſſum. Nam hinc illæ eorum voces [a]: *de hoc opere quod non habet culpam naſci culpa non poteſt, de ea re quæ à peccato libera eſt non naſcuntur peccata.* [b] *Mala ex bonis eſſe non poſſunt. Per opus Dei opus diaboli tranſire non ſinitur. Non poteſt mali radix in eo locari quod donum Dei eſt. Rerum ratio non ſinit, ut de bono malum & de iuſto iniquum aliquod proferatur.*

Lib: 2: de nupt. & concup: c: 28:
Ita paſſim Iul: toto lib: 2: de nupt: & lib: 2: oper: imperf: Aug: lib: 2: de nupt: & concup: c: 26:
a Lib: 4: cont Iul: c: 16:
b Lib: 2: cont: Iul. c. ult: & lib: 6: contra Iul: 21:

D Vndecimò [a], *Hominem non eſſe opus Dei* [b]: ſed à diabolo duci originem naſcentium [c]: erit enim creator & autor hominum, *ſi ex hoc vulnere creantur, quod natura quæ primum condita eſt inflixit humana.* Qua calumnioſâ ratiocinatione

a Lib: de pec: orig: c: 33:
b Lib: 3: cont Iul:
c Lib: 2: cont Iul: c: 1

A paſſim inculcabant naturá eſſe malam, diabolicam, nec imaginem Dei. Vnde Iulianus quodã loco: *Sapientiæ ratiocinanti credo, quod naturam videlicet diabolicam ſine ambiguitate definias. Nam ſi in ea, vel per eam eſt, propter quod homo à diabolo poſſidetur, irrefutabiliter diaboli eſt, per quod Dei imaginem ſibi potuit vendicare. Imo nec imago Dei eſt, quæ per exortũ ſuum in regno diaboli eſt.* Quare cum conſtet creationem hominum Deo eſſe tribuendam etjamſi naſcentes mali aliquid ex parentibus trahere poſſent, addit Iulianus: expiarentur *manibus Dei & opificis maieſtate.*

Lib: 1: oper. imperf: cont Iul: f: 72:
Lib: 5: cont: Iul. c. 15

Duodecimò, Deum iniuſtiſſimum fore & crudeliſſimum: *quemadmodum autem,* inquit Iulianus, *non eſt iniquus Deus cum baptizatis dimittat peccata propria, parvulum damnat, quia cum ab illo crearetur, neſciens nec volens etiam ex illis parentibus quibus remiſſa fuerant, traxit aliena?* Vnde alibi exaggerat iniuſtitiæ illius immanitatem: B *apud quem igitur impollutam innocentiam ſcelus gravavit externum? Quis ille ſuit qui hos* (parvulos) *adiudicaret reos? tam excors, tam trux, tam oblitus Dei, & æquitati barbarus perduellis? Laudamus prorſus ingenium tuum: apparet eruditio. Non potuiſti aliter dignam odio generis humani iudicis neſcio cuius, imo tyranni allegare perſonam, quam iurando non ſolum eum peperciſſe his qui nihil peccaviſſent, verum etiam his qui nec peccare potuiſſent.* Hæc & plura Iulianus. Reum denique, *non Deum* vocat, ſententiamque Catholicorum *immanem, ſacrilegam, funeſtam.*

Lib: 2: contra Iul, c: 1: & alibi paſſim:
Lib: 1: oper imperf: cont: Iul: f: 43:
f: 51
f: 45

Decimotertiò, *Deum homines feciſſe diabolo.* Hoc eſt, ut exponit Auguſtinus *Deum hoc creando intendere hoc curare, hoc ſui operis ratione providere, ut habeat diabolus ſervos quos ipſe ſibi diabolus facere non poteſt.* Nullum enim ſciebat fructum aut finem *cur hoc crearet bonitas Dei, quod malignitas diaboli poſſideret.* Vnde C Deum vocat Iulianus: *Aucupem ſui lucrum ſemper induſtrium.* Itemque, *hoc inter ſe fœdus iniiſſe diabolum & Deum, ut quidquid perfunderit Deus, quicquid naſcitur diabolus ſibi vendicet; ea tamen lege, ut ipſam commixtionem quam diabolus inſtituit Deus obnoxia virtute fœcundet.*

Lib. 2. de nupt: & concup. c: 16:
Lib: de pec: orig: c: 40:
Lib: 6: cont: Iul: c: 9:
ibid.

Decimoquartò, magnis argumentationibus nitebatur Iulianus ad illud impietatis abruptum perducere, *ut Chriſti caro nihil diſtaret à carne peccati,* hoc eſt ſimiliter eſſet peccati originalis reus, nempe, *quia de Maria natus eſt cuius virginis caro ſicut cæterorum omnium ex Adam fuerat propagata.* Sic enim putabant Chriſti, qui veniſſet *in ſimilitudine carnis peccati,* & cæterorum hominum nullam ſtatui debere differentiam.

Lib: 5: contr: Iul: c: 15

Denique, *Ita eſſe animarum traducem in Tertullianum olim & Manichæi profanitate damnatam, ſicut etiam corporum. Quod tam nefarium eſt,* inquit Auguſtino Iulianus, *ut cum à nobis in epiſtola* D *quam ad Orientem miſimus fuiſſet obiectum, tu in libris quos nuper ad Bonifacium miſiſti, negando à te propulſare coneris.* Novam enim ſingularium animarum creationem acerrimè Pelagiani ex *rationis & ſacræ legis Eccleſiæque Catholicæ,* ut venditabant, *autoritate* tuebantur: ut ita ſi conſtaret

Lib: 2: oper. imper. contra Iul. f. 390
Lib: 3: ad Bonif: c: 10:
Lib: 2: oper: imperf: cont: Iul: f: 231

 nihil

Ibid. f. 229.

*nihil eam debere ſemini corporali* nihil etjam culpę in eam poſſet corporali propagatione transfundi. Quamquam illam de origine animæ *non neceſſariam quæſtionem* eos moviſſe dicit Auguſtinus, non tam ut peccatum originale deſtruerent quam, *ut res manifeſtas aliarum rerum obſcuritate turbando molirentur latendi locum.*

Lib. 3 ad Bonif. c. 10.

Vnde odioſo nomine Catholicos paſſim vocitabant ſicuti *Manichæos* ita etjam *Traducianos*, & Auguſtinum, *Traducianæ nationis primatem*: Non ſolum propter traducem animarum quam eis calumniando tribuebant ſed maximè peccati originalis de quo hactenus.

Paſſim lib. 1. & 2. oper. imperf. cont. Iul.

## Pelagiani præcones & patroni libidinis.

## CAPVT QVARTVM.

NVNC de pœnis ejus, quas partim *in hac vita partim in futura* luimus, deinceps videndum quid ſentirent. Sunt verò vel animi vel corporis. In animo concupiſcentia & ignorantia: in corpore miſeriæ mortalitatis ac denique mors.

Concupiſcentiam, quæ alio nomine libido dicitur hic intelligimus non tantum illam quę in carne ſentitur, ſed omnes omnino cupiditates quibus etjam animus in vita ſæpius voluntate turbatur, quas omnes in Pelagianorum opinione ſicut cæteras animi paſſiones naturaliter homini tam ante quàm poſt peccatum pari planè ratione, ut nunc in hac mortalitate experimur à Deo inſeri jam ſupra ſufficienter dictum eſt.

Lib. 14: de civit. Dei c. 16:

De illa vero corporis quaſi concupiſcentia, quæ uſitatius libido dicitur *& corpus*, ut Auguſtinus loquitur, *non ſolum extrinſecus verum etiam intrinſecus vendicat, totumque commovet hominem, animi ſimul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto* idem omnino judicandum. Quod etſi ſupra utcunque ſignificatum fuit, tamen in illa depingenda magnopere linguam ſuam Iulianus exercuit multaque dixit quę veritas improbat, attexenda nonnulla ſunt ut Pelagianorum hac de re ſententia clarius eluceſcat. Solemne Pelagianis fuit magnis præconijs in hujus affectionis prædicationē effundi. Teſtatur hoc ſexcenties & ſtomachando exprobrat Auguſtinus: *Non uſque adeo putandum eſt periiſſe frontem de rebus ut hoc dedecus* (laudandi libidinem) *niſi in tali forte auditorio fieret, ubi te recitaturo* (laudes ejus) *confidentibus diſcipulis ſuis magiſter Celeſtius aut Pelagius præſideret.* Et alibi: *Iſte autem audet in Eccleſia Chriſti ante magiſtrum in cœlo ſedentem recitare libidinis laudes.* Nec vero id Iulianus inficiatus eſt. Hæc enim ſunt verba ejus quodam loco: *Meritoitaque & in bene utentibus genus concupiſcentiæ modusque laudatur, & in turpibus exceſſus ejus punitur.* Hinc eſt quod eos paſſim vocet [a] *patronos*, *defenſores*, [b] *fautores*, [c] *impudentiſſimos laudatores* libidinis, de qua *Pelagiani etiam litibus gloriantur tanquam de aliquo bono*, & [d] *vehementer arguentibus iraſcuntur.* Hinc ipſam libidinem [e] *ſuſceptam* Pelagianorum vocare ſolet à judicijs forenſibus petita metaphora, ubi ſuſceptos dicunt, quibus advocati patrocinantur. Quod patrocinium eos concupiſcentiæ carnis non tam veritatis quam voluptatis cauſa præſtitiſſe ſuſpicari pronum eſt, *ut eius ſi non uſibus ſaltem laudibus oblectarentur quicunque eorum propoſito continentiæ carnali conjugio non fruebantur.* Hinc enim eſt quod eos frequenter in ſuſpicionem colluſionis vocat; *Itane habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, ut abs te & expugnetur in te & defendatur adverſus me? bellum vero non latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet ſuſpectum facis eſſe quod latet &c. Quomodo vis ut arbitremur adverſus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis?* Et rurſum preſſius alibi: *Cum tibi tantum licere poſſe quis crederet, ut ſibi laudatorem etiam de ſuis expugnatoribus provideret? Abſit quidem ut antiquorum aliquem vel Apoſtolorum vel quorumcunque ſanctorum mirabiliter tamen, ſi vel quemquam hæreticorum novorum qui ſimul utrumque ſe eſſe profitentur inexplicabilibus modis, expugnatorem ſcilicet defenſoremque libidinis.*

Lib. 2: cont. Iul. c. 6.

Lib. 6. c. 11:

Lib. 2: de nupt: c. 19:

a Lib. 4: cont Iul: c. 15:
b Lib. 4. c. 14
c Lib. 2. c. 3:
d Lib. 4. c. 14
e Lib. 4: cont Iul: c. 2. 11: 12: 15: & lib. 5. c. 8. & lib. 6: c. 9 & alibi ſæpiſſimè

Aug. lib. 2: de nupt. & concup. c. ult.

Lib. 3: cont Iul. c. ult:

Lib. 4: cont Iul. c. 2:

Sed quantumvis libidinem Iulianus ſine pudore diligeret & ejus laudes impudenter ſpargeret ſubinde tamen ipſis naturæ legibus victus *pudendam* eam eſſe fatebatur, & quadam inverecunda verecundiæ præfatione ignoſci *neceſſitati ſuæ libertatique* poſtulabat. Ex quo profectum eſt, ut quantumvis eam ſpecioſis noviſque titulis extolleret, quædam tamen ejus nomina quæ naturæ humanæ neſcio quid pudoris incutiunt, velut ſcopulos exhorreſceret. Vocavit enim eam in ſuis ſcriptis ſæpius [a] *voluptatem* [b], *voluptatem carnis* [c], *ſenſum* [d], *commixtricem ſeminum & confectricem* [e], *appetitum mutuum* [f], *appetitum naturalem* [g], *calorem genitalem* [h], *membrorum potentiam* [i], *virilitatem* [l], *generationum potentiam* [m] *membrorum vigorem* [n], *concupiſcentiam* [o], *ignem vitalem* [p], *concupiſcentiam naturalem*: ſed ut obſervat [q] Auguſtinus, *pudebat eam appellare libidinem, ſive ſicut eam divinus ſermo appellare conſuevit, concupiſcentiam carnis.* Et cur obſecro? nempe [r], *ut aliquid aliud, non ipſam laudare videretur.* Quem enim non pudeat id laudare quod pudet & putet? Pudet enim ex ipſo rationalis naturæ ſenſu *carnem* contra ſpiritum *concupiſcere*, neglectoque naturali mentis imperio membra incentivo *libidinis* commoveri. Quod genus infirmitatis atque rebellionis quoniam ipſis vocabulis *libidinis* & *concupiſcentiæ carnis* exprimitur, alijs vocabulis libentius utebatur, quibus naturalis quædam vel bonitas vel perfectio deſignari videretur.

Li. 3: operis imperf. cont Iul: f. 260.
Lib. 5: cont: Iul: c. 5 & Li. 4. c. 9. & 11:
a Lib. 2. de nupt. c. 9. & lib. 6 con. Iul. c. 24.
b Lib. 5. cont Iul. c. 8.
c Lib. 4. cont Iul. c. 14 & lib. 6. c. 18.
d Lib. 2. de nupt. c. 13.
e Lib. 5. cont Iul. c. 16.
f Lib. 2. de nupt. c. 7.
g Lib. 4. cont Iul. c. 2.
h Lib. 2. de nupt. c. 7.
i Lib. 5 cont Iul. c. 15.
l Lib. 2. de nupt. c. 13.
m Lib. 2. de nupt. c. 19.
n Lib. 2. de nupt. c. 10.
o Lib. 3 cont Iul. c. 13.
p Lib. 3. cont Iul. c. 21
q Lib. 4. cont Iul. c. 20
r Lib. 2. de nupt. c. 26

Libidi-

## Libidinem non eſſe malam varijs argumentis aſtruunt & Scripturas ſolvunt.

## CAPVT QVINTVM.

VT igitur morbidam iſtam humani animi ſimul & carnis affectionem quę permixto utriuſque appetitu concitatur, in tuto ab omni argumentorum impugnatione collocarent, ante omnia pervicaciſſimè negabant eam malam vel quoquo modo vitiatam. a *Concupiſcentia*, inquit Iulianus, *mala qualitas non eſt*: Et alibi: b *Non eſſe in natura malum defendimus*, & rurſum: c *Non eſt in carne mali neceßitas*. Malitiam verò ab ea omnem removebant multis argumentis.

a *Lib.6.cont Iul. c. 18.*
b *Lib.3.cont Iul. c. ult.*
c *Ibidem*

Primò quidem, quod ille eſſet error Manichæi, qui duas ſtatuens in uno homine permixtas eſſe naturas bonam & malam, carnis concupiſcentiam non tanquam accidens vitium, ſed tanquam malum naturale culpabat, hinc gravem invidiam concitabat Auguſtino Iulianus, quod *naturale* ſive *originale* defenderet. *Perfectè*, inquit, *Manichæus eſt qui malum Originale defendit*. Quæ criminatio non tantùm ex peccati originalis defenſione ſed etjam libidinis vituperatione naſcebatur. Vnde alibi Auguſtinus: *Non ſicut inſimulas cum Manichæis dicunt*, Catholici, *ineſſe carni ſuæ mali neceßitatem quod mali in illi ſubſtantiale & Deo coæternũ eſſe mentiuntur; ſed dicunt ſanè cum Apoſtolo: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

*Vide lib. 6. cont. Iul. c. 6 & alibi paſſim*
*Lib. 2. de nupt. c. 29.*
*Lib. 5. cont. Iul. c. 6.*

Secundò, quod Deus eam ut magnum donum Abrahæ & Saræ contuliſſet: *Certè* (ait Iulianus) *hanc concupiſcentiam, ſine qua nulla fœcunditas, malum* naturale *definiſti, unde ergò per donum cæleſte in ſenibus excitatur? Aſtrue iam hoc ſi potes ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Et rurſum quod eam ſupplicio ſubtraxiſſet Abimelech, placatuſque reddidiſſet: *Vide ergò, utrum* naturale *malum dici debet quod interdum aufert exaſperatus Deus, redditque placatus.*

*Lib. 2. de nupt. c. 10. & 12.*
*Ibid. c. 13.*

Tertiò, *quia carnem ſuam nullus odit*, nihil igitur in ea mali quod odium mereatur.

*Lib. 6. cont. Iul. c. 15.*

Quartò, *ſi poſſet calor genitalis*, hoc eſt, *concupiſcentia carnis malum eſſe* naturale *extirpandus erat non componendus*, hoc eſt, non frænandus tantùm & ad modum adigendus, ſed penitus vi mentis è corpore auferendus erat. Quia, inquit, *nihil ad innocentiam promovet modeſtia* (hoc eſt, moderatio) *rei per ipſum genus nocentis.*

Quintò, *ſi malum eſſet concupiſcentia, carerent ea qui baptizantur*, ita Iulianus. Baptizati enim, inquiebant, ſunt *templum Dei*, in quo non tantum nihil poteſt eſſe mali, ſed *nec aliquid quod mortificetur*: vel ſi aliquid in baptizatis ſupereſt mali, ſequitur ſanè, quod abſurdiſſimum eſt, *non innovari homines per baptiſmum, ſed quaſi innovari; non liberari, ſed quaſi liberari; non ſalvari, ſed quaſi ſalvari*: juxta Epicurum qui negavit *eſſe corpus Deorum, ſed tanquam corpus,* A *nec ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem.* Imò Baptiſma *non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata.* Præter quam abſurditatem, alia graviſſima incommoda ſi mala eſſet libido ſequi conqueruntur, videlicet

*Ibid. c. 16.*
*Ibid. c. 14.*
*Ibid. c. 14.*
*Ibid.*
*Lib. 1. ad Bonif. c. 12.*

Sextò, *per Deum creatum eſſe unde homines naſcerentur, per diabolum autem unde parentes commoventur* ad concubitum ſcilicet. Hoc eſt quod alibi dicit *motum genitalium à diabolo eſſe repertum.*

*Lib. 3. cont. Iul. c. 26 & lib. 2 de nup. c. 34.*

Septimo, *commixtionem coniugum à diabolo fuiſſe repertam.* Ideoque *ante peccatum nullum futurum fuiſſe concubitum.*

*Lib. 1. ad Bonif. c. 5. & 2. cont. Iul. operis imperf. fol. 432.*

Octavò, *aliunde quam unde totum eſt, eſſe genitalem corporis partem*, hoc eſt, non ex Deo ſed ex diabolo.

*Lib. 1. ad Bonif. c. 5. & 5. cont. Iul. c. 9.*

B Denique irrefragabili vinculo putabant ſequi nuptias eſſe damnandas ac diabolo autore inſtitutas. Iulianus, *ſi non ſunt nuptiæ ſine libidine, & generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias.* Quas poſteriores abſurditates maximeque poſtremam ita inferebant ſequi ut eas etjam ab Auguſtino & Catholicis aſſeri confirmarent. Hinc enim illæ natæ in Auguſtinum calumniæ: *Baptiſma non verè homines novos facere aſſerunt*, id eſt, *non plenam dare remiſſionem peccatorum, ſed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios ſæculi, id eſt diaboli remanere contendunt.* Et alibi: *Illæ nuptiæ quæ ſine concupiſcentia ſine motu corporum, ſine neceßitate ſexuum, ut dicis eſſe potuerunt, à te pronuntiantur laudabiles. Iſta vero coniugia quæ nunc aguntur à diabolo definis inventa & profiteris mala diabolica, morbum poſtremo debere non coniugium nuncupari.* Hinc item illa *quod diabolo coniugia transſcriberet*, quod eum *genitalium commentaretur artificem* quod C *excitatorem virorum aſſereret.* Contra quæ opinionum quaſi portenta Catholicarum ſic Iulianus definiebat: *Fugienda opinio eſt quæ putat vel in membris hominum vel in ſenſibus membrorum aliquid diabolum condidiſſe.* Quod verò Auguſtino exprobrat nuptias ab eo morbum non conjugiũ eſſe nuncupatas, inde natum eſt, quod Auguſtinus illo loco Apoſtolico *non in morbo*, ut ipſe legit, *deſiderij*, contra libidinem uteretur. Concupiſcentiam enim ſive libidinem non eſſe humani animi morbum neque pœnam, omnibus diſputandi viribus contendebat, cum tamen *nuptiarum remedium*, ei proviſum eſſe fateretur: *laudat*, pudicitia conjugalis, *tali remedio non egentes.* Per morbum itaque apud Apoſtolum, peccatum fornicationis intelligebat: Non libidinem, quia, inquit, *non poteſt dici morbus, ſine quo non eſt connubium, quia poteſt*

*Indicat lib. 4. cont. Iul. c. 10. & 12.*
*Lib. 6. cont. Iul. c. 11.*
*Lib. 4. cont. Iul. c. 10.*
*Lib. 1. ad Bonif. c. 3. & lib. 2. c. 13*
*Iul. lib. 2. de nupt. c. 31.*
*Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. 8.*
*Lib. 4. cont. Iul. c. ult.*
*1. Theſſ. 4.*
*Lib. de nup. c. 8.*
*Lib. 3. cont. Iul. c. 15. & 21.*
*Lib. 4. cont. Iul. c. 10. & lib. 5. c. 9.*

*eſſe*

Iul. lib. 1. operis imperf. apud Aug. cont. Iul. fol. 90.

*eſſe connubium præter peccatum, morbus autem peccatum dicitur.* Et alibi: *In Sanctorum connubio & in omnium honeſtorum nullus omnino morbus eſt, quia nec Apoſtolus morbum pro remedio conceſſit, cum per reverentiam nuptiarum à morbo fornicationis Ec-* A *cleſiæ homines muniebat* humiliter ab alio Ioannis Apoſtoli loco, quo *concupiſcentia carnis non eſſe à Patre* dicitur, ſe Iulianus expediebat. Luxuriam enim ſignificatam voluit non libidinem.

1. Ioan. 2. Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

## Admittunt malas conſuetudines: eas eſſe legem in membris; & caput ſeptimum ad Romanos pervertunt. Multaſque calumnias in Catholicos comminiſcuntur.

## CAPVT SEXTVM.

SED quia præ cæteris ſcripturis eos ſtringebat & urebat operoſa illa diſputatio qua conflictum hominis contra internos ſive animi ſive corporis concupiſcentiæ luctantis motus depingit Apoſtolus: ut eam evaderent dogmatum ſuorum veſtigijs inhærendo unanimi conſenſu hoc fundamentum jecére Pelagiani alijs quoque erroribus ſuis tuendis neceſſarium, nihil quidem mali ſive peccati ſive vitioſæ concupiſcentiæ ex parentibus trahi à nobis; veruntamen peccandi frequentatione malas conſuetudines contrahi quibus etjam renitente quodammodo voluntate præcipitemur in malum: has ſolas eſſe, quæ bene vivendi reſiſtant voluntati, *neque verò*, ait Pelagius, *alia nobis cauſa difficultatem benè faciendi facit quàm longa conſuetudo vitiorum.* Item: *omne illud tempus quo negligenter edocti, id eſt, ad vitia eruditi ſumus, nunc nobis reſiſtit, contra quem nos venit & novam voluntatem impugnat uſus vetus.* Et infra dicit, *vago peccandi uſu homines quodammodo bonum naturæ obruere.* Et rurſum alibi: Eſt *voluntas ſed non eſt effectus, quia carnalis conſuetudo voluntati reſiſtit.*

Ad Rom. c. 7. — Epiſt. ad Demet. — Ibid. — Ibid. — In Comment. c. 7. ad Rom.

Hanc verò conſuetudinem non ſolum benè vivendo dicebant poſſe ſuperari, ſed etjam credi volebant, baptiſmi Sacramento penitus tolli, ita ut poſt baptiſmum nihil in carne ſupereſſet quod contra ſpiritum niteretur. Vnde Pelagius cum ſibi objeciſſet: *Sed caro ſecundùm Apoſtolum contraria eſt inquies*, ita reſpondet: *quî fieri poteſt ut cuicumque baptiſato ſit caro contraria, cum ſecundum eundem Apoſtolum in carne non eſſe intelligatur? Ita enim ait: Vos autem in carne non eſtis.* Vbi omnem carnis reſiſtentiam quam Pelagiani in conſuetudine ſolent agnoſcere vult per baptiſmum eſſe ſublatam. Hinc enim nata eſt & illa calumnia quam ſupra vidimus, quod Catholici dicerent, *baptiſmate non plene homines innovari.* Quo ſenſu & Iulianus dixit: *Ille* (Apoſtolus) *in membris legem per flagitiorum uſum Sanctis conſilijs inter principia tamen emendationis rebellem conſuetudinem malam vocabat, quæ ab eruditis etiam ſæculi dici ſolet eſſe ſecunda natura.* Rebellionem enim conſuetudinis non agnoſcit Iulianus niſi inter principia emendationis ante baptiſmum, quæ ut conſuetudinis malo liberetur, divinam gratiam implorari decet. Et clarius exprimens quid ſibi vellent, Augu- A ſtinus: *Sed ne fortè*, inquit, *iſtam catechumeni exiſtimes vocem lavacrum regenerationis adhuc ſperantis, poſt quod lavacrum nullam legem peccati reſiſtentem legi mentis habiturus eſſet, recole* &c. Et alibi: *Reſponde ergò cur ſic iſta faciat, qui omni malo in baptiſmate caruit?* (ſcilicet ſecundum te) *Cur audet lividum facere templum Dei?* Quod ut clarius caperemus quam vocem, inquit, *Scio quia non habitat in carne mea bonum, baptizati eſſe cur negas?* Apertè enim Iulianus dicebat: *Baptizatus non habet aliquid quod mortificet.* Ex his igitur perſuaſiſſimis ſibi principijs totum illud caput ſeptimum ad Romanos, ubi Apoſtolus mortalitatis hujus ærumnas quas ex conflictu carnalium deſideriorum, quibuscum naſcimur, Sanctiſſimi quique patiuntur & gemunt, in hæreticum ſuum ſenſum torquendo pervertebant. Cùm enim viderent, ut Auguſtinus notat, totam ibi hæreſim ſuam qua nullum B in homine peccatum aut malum naſci ſtatuebant, *funditus ſubrui, non aliter ex Apoſtoli vocibus exire conabantur niſi quanta poſſent contentione aſſeverarent, non illic ipſius Apoſtoli accipiendam eſſe perſonam ſed adhuc ſub lege nondum ſub gratia poſiti cuiuſpiam Iudæi, contra quem ſua malæ converſationis conſuetudo pugnaret.* Senſum Pelagianorum omnium luculentiſſime ipſe Dux gregis Pelagius expreſſit: *Hoc quod tu de Apoſtolo intelligere cupis omnes Eccleſiaſtici viri in peccatoris & ſub lege adhuc poſiti aſſerunt eum dixiſſe perſona, qui nimia vitiorum conſuetudine velut quadam teneretur neceſſitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, uſu tamen præcipitaretur in malum. In perſona autem unius hominis deſignat populum ſub vetere adhuc lege peccantem, quem ab hoc conſuetudinis malo dicit liberandum eſſe per Chriſtum, qui credentibus ſibi primo omnia per baptiſmum peccata dimittit, deinde imitatione ſui ad perfectam incitat Sanctitatem, & vitiorum conſuetudinem virtutum vincit exemplo.* Succinit præceptori diſcipulus Iulianus: *Iu-* C *dæum ſub lege poſitum deſcribebat Apoſtolus.* Et alibi: *Exaſperat Apoſtolus vim conſuetudinis.* Itaque omnes illas Apoſtoli voces: *Ego carnalis ſum venundatus ſub peccato: non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Video aliam legem in membris meis reſiſtentem legi mentis meæ:* Et ſimiles, ſic accipiebant non quaſi aliqua peccandi concupiſcentia ex parentibus tracta ſignifi-

Lib. de nat. & grat. c. 22. — Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 94. — Lib. 3. cont. Iul. c. 26. — Aug. lib. 6. cont. Iul. c. 16. — Ibid. — Lib. 6. cont. Iul. c. 24. — Lib. 2. cont. Iul. c. 2. & c. 5. & lib. 1. ad Bonif. c. 8. — Lib. de grat. Christi c. 39. — Iul. lib. 3. cont. Iul. c. 26. — Lib. 6. c. 23.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſignificaretur in Apoſtoli jam baptizati & Sancti corpore vel animo ſupereſſe, motuſque libidinis ſuſcitare, ſed ſola peccandi conſuetudo, quam uſu ſibi Iudæus & quiſque pepeAriſſet. In cujus perſona mox Apoſtolus ingemiſcendo & baptiſmum poſtulando ſubjecerit, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, hoc eſt, *à conſuetudine videlicet mortifera corporali*, inquit Pelagius: Iudæorum enim ſuperbia quos *in ſe transfigurabat* Apoſtolus *contemnebat*, inquit Iulianus, *dona Chriſti velut ſibi non neceſſaria, quod veniam daret ille peccatis per baptiſmum qua ipſi legis admonitione vita ſent.* Quē ſenſum latius proſequitur & inculcat commendatque alibi idem Iulianus, corpus mortis exponens peccatorum reatum, quæ conſuetudine, hoc eſt, *improborum imitatione* collecta ſunt, quibus per baptiſmum liberamur. Legem in membris *conſuetudinem malam*. Hæc enim capitis illius commemorata interpretatio non ſolum eſt a *Iuliani* carptim multis locis, ſed etjam continuata ipſius b *Pelagij*. Cum ergò velut interitum erroris ſui exhorreſcerent aliquid mali iſtis Apoſtoli verbis intelligere quod ex parentibus propagaretur in prolem & in peccandi libidines æſtuaret, conſequenter Auguſtini interpretationem qua totum

In Comment Loci.
Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. c. 23.
Iul. lib. 1. operis imperf. f. 82. 83. 84 & ſeqq. Fol. 94.
a Lib. 6. cont. Iul. c. 23. lib. 3. c. 26. lib. 1. operis imperf fol. 82. & 94. & alibi
b In Comment. c. 7. ad Rom. late

A illum locum de ipſo Paulo cunctiſque Sanctis, cum interno vitiorum innatorum exercitu, in hac mortalitate luctantibus exponeret, graviſſimis calumnijs infamarunt: ut quod doceret *Apoſtolum hic iſta dixiſſe (non habitat in carne mea bonum) non ego operor illud ſed quod habitat in me peccatum, quaſi qui ſe vellet intelligi renitentem in ſcorta, aliqua manu peſtifera voluptatis abduci*: atque hac de cauſa *Apoſtolum etiam Paulum vel omnes Apoſtolos ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos*. Item *nec in curioſo quidem corpore libidinem poſſe frænari*. Quin etjam *ſubſtantiam corporis abeſſe & naturam carnis accuſari*. Hanc eſſe Manichæorum opinionem, quam Auguſtinus à Fauſto præceptore didiciſſet: qui per *legem membrorum reſiſtentem legi mentis, naturam malam ſignificatam fuiſſe voluit*. Denique *non eſſe dubium*, dicebat jactando Iulianus, *everſionem ſanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morum labem Auguſtini convenire, imo ineſſe dogmatibus: qui ideò in naturæ* B *invidiam malæ converſationis ſordes refunderet ut peccantibus metum demeret, quorum obſcœnitates Apoſtolorum & Sanctorum omnium conſolaretur injurijs eo quod vas aureum Apoſtolum Paulum ſæpe dixiſſe commemoraret, non enim quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum illud facio.*

Ita Iul. lib. 6. apud Aug. cont. Iul. c. 23
Lib. 1. ad Bonif. c. 8.
Lib. 6. cont. Iul. c. 11.
Indicatur lib. 6. cont. Iul. c. 23. in fine
Iul. lib. 1. operis imperf f. 95.
Lib. 3. cont. Iul. c. ult.

## Bonam eſſe libidinem multis probant.

# CAPVT SEPTIMVM.

SED non contenti Pelagiani ab omni A malitia ſive culpæ ſive pœnæ purgaſſe concupiſcentiam, etjam bonitatem atque innocentiam ejus magno ſtudio Philoſophicis fucatiſque armati rationibus defenderunt, ut etjam ſolidis more ſuo fundamentis aſſereret Iulianus, definiendo, dividendo, ac differendo, originem, ſpeciem, modum, qualitatemque ejus quaſi medicinaliter indagavit.

Et primò quidem eſſe voluit nihil aliud eam quam ſenſum. Vt enim id quod Auguſtinus dixerat, augeri concupiſcentiam minuique convelleret, *ſenſus eſt*, inquit, *concupiſcentia & mala qualitas non eſt; ergò quando minuitur concupiſcentia ſenſus minuitur.* Vbi tam ipſe quam Auguſtinus de habitualiter illa manente concupiſcentia loquuntur, quæ cum omni homine naſcitur, atque unde animi carniſque actuales motus ac deſideria pullulant. Hanc B ſtatuit eſſe ſenſum, hoc eſt potentiam quandam hominis illam, ut videtur, quam Philoſophi appetitum ſenſitivum nuncupant, vel aliquem certè ſenſum externum. Clarius hæc indicat alio loco, *Caro concupiſcit*, ſcilicet motibus actualibus inhiando rebus deſideratis, *Quia carnaliter anima concupiſcit. Siquidem ſine anima caro nec ſentiat. Concupiſcere autem viventis ſentientiſque natura eſt, ſine quo ſenſu membra moveri non poſſunt, id eſt per ſemetipſa concupiſcere ne-*

Lib. 6. cont. Iul. c. 18.
Ibid. c. 14.

A *queunt, qui ſenſus concupiſcit etiam ſine membris ut in ſpadonibus* Quod Auguſtinus tāquam verum exponit de irritis concumbendi conatibus & concupiſcentiæ carnalis affectibus quibus & ſpadones moventur etſi deſtituti carnis effectibus. Vnde etjam ſupra ſenſum eſſe dixit idem Auguſt. non ipſam habitualem concupiſcentiam ſive vinolentiæ ſive incōtinentiæ, ſed illū, *quo nos eam maiorem minoremve habere ſentimus.* Quem ſanè non alium quam ipſam partem animæ ſenſitivam eſſe manifeſtum eſt, quæ quatenus ex apprehendendi & concupiſcendi ſenſu conflatur, proprios ſuos etiam in beſtijs non ſolum externos ſed etjam interiores percipit motus. Et alibi: conſequens eſſe putat *ipſum ſenſum videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi, atque tangendi non à Deo ſed a diabolo nobis fateamur eſſe collatum, ſi conceſſerimus eam cōcupiſcentiam carnis, cui per continentiam repugnamus ex illo* B *accidiſſe peccato quod primum primo homini diabolus perſuaſit.* Nempe ex actuum malitia malitiam potentiæ colligit, ſed quia non ſemper ſive caro ſive animus iſtiuſmodi concupiſcentiæ motibus quatitur, cauſam eorum indagans Iulianus, *genus*, inquit, *concupiſcentia eſt in igne vitali, ſpecies in motu genitali, modus in opere coniugali, exceſſus in intemperantia fornicandi.* Vbi per genus Porphyriana phraſi originem concupiſcentiæ intelligit, ſic enim alio libro juſtitiæ genus inquirens, *quo nomine*, ait, *nihil aliud quam originem*

C. 18. lib. 6.
Lib. 4. cont. Iul. c. 14.
Lib. 3. cont. Iul. c. 13.
Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 31.

*originem intelligi volo*: Et ſic ſubjungit: *meritò igitur concupiſcentiæ origo definitur in igne vitali, quo collecto neceſſe eſt ut & reputetur concupiſcentia carnalis per quam conſtituta eſt vita carnalis.* Vnde alibi: *calorem genitalem* vocat. A

[Lib. 4. cont. Iul. c. 2.] Ex hac igitur carnalis libidinis deſcriptione bonitatem ejus quaſi certiſſimo conſequentem aſſerens, ſubnectit ac dicit: *Huius itaque appetitus non in genere ſuo, non in ſpecie, non in modo culpa eſt, ſed in exceſſu quia genus eius & ſpecies ad conditoris operam pertinent.* Vbi libidinem concreatam homini & inſitam eſſe definit, atque idcirco bonam. Cujus argumenti vim ſtudioſiſſime multis in locis inculcat: *Voluptas ergo iſta*, ait Iulianus, *quam tu diabolicam vis videri, iam in ſupradictis etiam coniugibus habebatur quæ ut inſtitutione bona, ita etiam benedictione permanſit.* [Lib. 2. de nupt. c. 9.] Et alia Pelagiana phraſi idem tamen ſignificante *motum genitalem, id eſt ipſam virilitatem ſine qua non poteſt eſſe commixtio, à Deo dicimus inſtitutam.* [Lib. 1. ad Bonif. c. 15.] B Vnde quaſi in pietatem hac de re dedocens Auguſtinum, *vere* inquit, *credito quia per* IESVM *Chriſtum facta ſunt omnia & ſine ipſo factum eſt nihil* [Lib. 2. de nupt. c. 34.] Quæ ſane cauſa fuit; vt paſſim eam vocarent *concupiſcentiam naturalem*, pro ſuo modo *bonam* atque *laudabilem*. *Concupiſcentia naturalis*, inquit Iulianus, *qui modum tenet bono bene utitur, qui modum non tenet bono male utitur.* [Lib. 3. cont. Iul. c. 21.] Et rurſum: *bona igitur concupiſcentia, naturalis.* Iterumque: *Probabilis eſt in genere ſuo.* [Ibid. c. 2.] Et hoc eſt quod Auguſtinus ſæpe teſtatur concupiſcentiam illam à Pelagianis veluti [a] *bonam naturaliter*, ac [b] *bonum naturale* eſſe laudatam, atque ideò eos hortando caſtitatem docuiſſe *noli vinci à bono ſed vince in bono bonum.* [a Lib. 5. c. 7. b Lib. 6. c. 17. Lib. 5. cont. Iul. c. 7.]

Multis porrò rationibus præter illam quam ex Dei inſtitutione petitam diximus, ſuam ſententiam aſtruebant. Imprimis igitur veluti acutiſſimo utebantur argumento beſtiarum libidine quam ſine dubitatione à Creatore Deo illis inſertam eſſe conſtabat, C unde quaſi in re manifeſtiſſima deridet Auguſtinum Iulianus: *Quo enim es deceptus intuitu ut commixtionem corporum, quæ Deus inſtituit, & conciliatricem commixtionis voluptatem quæ tam in hominibus quam in pecoribus vigent, diaboli opus & fruticem vocares?* [Lib. 2. cont. Iul operis imperf. f. 329] Sed telum illud brutum multis in locis ab Auguſtino retunditur. [Lib. 4. cont. Iul. c. 5. & 14. in fin. & de peccat. orig. c. 40.] Vt tamen hanc rationem quam ex Philoſophia didicerant majore colore probabilitatis perfunderent ſtatuebant hominem ex duplici bonorum genere conflatum eſſe, naturæ videlicet rationalis & irrationalis. Huic ſubjectionem, illi imperium ita convenire, ut blanditijs inferioris illius boni non deberet ratio ſubjugari. Aperuit mentem eorum Auguſtin. *Honeſtate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis eſſe cenſes corporis voluptatem.* [Lib. 4. cont. Iul. c. 15.] Et eodem libro: *Si hæc* (libidines, in quas animus pronus eſt) *tanquam minora bona defendis in quæ non debet à ſupernis animus inclinari, non quaſi libido vitium eſt, ſed quia infimum bonum, audi* &c. [Ibid. c. 12.] D Quam ſuam ſententiam ſatis dilucidis expreſſit verbis Iulianus, unde Auguſtin. eam perceperat: *Quoniam*, ait, [c. 5.] *ex imparibus bonis compoſiti ſumus, animum corpori debere dominari. Quorum alterum cum Dijs, alterum cum belluis eſt commune. Et ideò id quod eſt melius, id eſt animum virtute præditum & membris corporis bene, & cupiditatibus imperare.* Vbi libidines per cupiditates indicat quibus velut imparibus menti bonis animus virtute preditus imperet. Quod ſanè dogma utrumque Pelagianiſmum ſicut Ethnicis Philoſophis debet, ita citata verba Salluſtio. [In prologo Catilin.]

Vt verò magis libidinis bonitatem aperiret nullam inter eam cæteraſque creaturas differentiam in bonitate ſtatuebat, ſed ſicut panis & vinum à Deo creata ſunt ideoque bona, ita & carnis libidinem; utriuſque verò abuſum pariter culpandum eſſe. Ita diſerte teſtatur Auguſtinus; ſed accipe ipſa verba Iuliani: *Si putas accuſandum membrorum vigorem* (hoc eſt libidinem) *quoniam per ipſum Sodomitæ flagitys obliti ſunt, accuſabis etiam creaturam panis & vini, quoniam hinc quoque eos peccaſſe Scriptura divina ſignificat.* [Lib. 3. cont. Iul. c. 20. Lib. 2. de nupt. c. 19. & lib. 4. cont. Iul. c. 14. in fine] Et iſta quidem ſunt veluti capita rationum unde totum libidinis patrocinium, cauſamque ſuſpendunt: Quibus alia nonnulla veluti levioris armaturæ argumenta connectunt. Putabat enim Auguſtino teſte Iulianus commendatiorem fieri pulcherrimam iſtam concupiſcentiam, *quod ei*, tanquam dominæ ſcilicet, ſerviunt & ardentius excitentur etjam cæteræ corporis partes ſive oculi videntes ad concupiſcendum ſive alia membra in oſculis & amplexibus. [Lib. 5. cont. Iul. c. 5.] Quin etjam quia & alijs concitatur ſtimulis, & quod narrat Cicero: furens olim adoleſcentum petulantia, gravitate cantus, modorumque tarditate reſederit, bonum aliquod concupiſcentiam eſſe concludit. [Ibid.]

Deinde *fieri non poteſt*, inquit, *ut quod bonum eſt non habeat communem cum eo laudem ſine quo eſſe non poteſt.* [Lib. 5. cont. Iul. c. 8.] Ex quo confici vult ita libidinem & nuptias eſſe bonas, ut quæ ſine libidine eſſe non poſſunt.

Denique argumento ex adverſarij dictis ſumpto, *ſi in fructu ligni* (ait idem Iulianus) *hæc fuit libido, à Deo facta eſſe monſtratur, & per hoc bona quoque ipſa defenditur.* [Lib. 4. cont. Iul. c. 12.] Et hæc quidem de bonitate libidinis Pelagiani. Quæ cauſa fuit ut etjam Chriſto Domino in carne verſanti ne à principiorum ſuorum filo aberrarent laudabilem concupiſcentiam illam aſcribere non erubuerint. Sed quid mirum, *ſi naturalem & innocentem affectionem*, ut eam Iulianus vocat, naturæ autori & innocentiæ reſtauratori tribuant? [Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 101.] Duabus tamen ex cauſis aliunde ad illam impietatem impulſi ſunt. Vna, quod vererentur ne ſi illa Chriſto defuiſſet, Apollinaris errore tenerentur, qui ſenſum & carnem eripuerat: *Comparas me*, ait Auguſtinus, *& coæquas Apollinaris errori, qui carnis ſenſum negavit in Chriſto.* [Lib. 5. cont. Iul. c. 15.] Nam ut undecumq; nebulas imperitis offunderent, libidinem & ſenſum, unum idemq; eſſe perſuadere nitebantur ut jam ſupra fuſius declaratum eſt. Altera, quod *non potuiſſet exemplum dare natura diſſimilis* nobis: Quaſi ſi concupiſcentijs noſtris diſſimilis fuiſſet Chriſtus, fuiſſet etjam natura diſſimilis. [Iul. apud Aug. lib. 5. cont. Iul. c. 15.] Nova ſanè im-

puden-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pudentium iſtorum Cynicorum exorbitatio: quam eò uſque progreſſuram ſubverebatur Auguſtinus, ut libidinem etjam corporibus à reſurrectione glorioſis aſcriberent, ſicut hoc eorum principia poſtulare videbantur. *An iſtam,* A interrogat quaſi aſſerendo, *libidinem ſic amatis ut quomodo eam prius ante peccatum in paradiſo poſitis, ita etiam reſuſcitatis corporibus ingeratis?* De quo & ſupra nonnihil diximus.

*Lib. 4. cont. Iul. c. 9.*

## De bonitate aliarum cupiditatum.

## CAPVT OCTAVVM.

NEQVE vero iſti carnis libidini tantum, quam iſto nomine uſitatius vocant, ſed omnibus omnino humanis affectibus, quibus animus bonis à Deo creatis ac delectationibus inhiat parem laudem bonitatemq; tribuebant. Nam ut probaret Iulianus illam de qua egimus hactenus libidinem eſſe bonam, generaliter omnium ſenſuum voluptatem teſtem advocavit. *Naturalem*, inquit, *eſſe omnium ſenſuum voluptatem teſtimonio univerſitatis docemur.* Et mox etjam *in paradiſo* ante corruptam ſermone ſacrilego voluntatem *illiciti cibi libidinem* ut Auguſtinus eum exponit, ſeu ut ipſe Iulianus loquitur *concupiſcentiam fuiſſe* ſine ullis ambagibus vel ambi- A guitate confirmat *quæ cum pomi*, inquit, *decore oculos incitaſſet ſpem etiam iucundi irritavit ſaporis.* Hanc ipſam quod & ſupra attulimus *affectionem naturalem & innocentem* nuncupat, nec *ſuo vitio, ſed voluntatis occaſionem*, non cauſam, *fuiſſe peccatum.* Quam doctrinam & Caſſianus in libris inſtitutionum tradit. Quod ſi argumenta Pelagiana quæ ſupra de libidinis laude & bonitate recenſuimus ponderentur, omnia de quacunq; alia concupiſcentia eandem prorſus obtinent vim, etſi de unica illa laudanda propter peccatum originale potiſſimum fatagant: ut in re manifeſta comprobanda non ſit operoſior à nobis adhibendus labor.

*Iul. lib. 1. oper. imperf. apud Aug. cont. Iul. f. 100.*
*Fol. 102.*
*Lib. 7. c. 3. 4. & 5. Caſſianus.*

## Indagantur cauſæ cur libidines velut naturaliter bonas commendarent.

## CAPVT NONVM.

QVID vero Pelagianos moverit ut A libidinem ſeu concupiſcentias tanta nervorum contentione, verborumq; garrulitate laudarent operę pretium eſt conſiderare.

Prima quidem eaque capitalis cauſa fuit, ut peccati originalis traductionem à parente in prolem funditus tollerent, ipſam traductionis ſuccidendo radicem. Videbant enim non poſſe fieri ut tantum malum generatione trajiceretur in prolem quin aliquid in cauſa generationis ſupereſſet mali. Quam ſuſpicionem ut ab hominum animis removerent, omnia quæ in homine naſcente & maxime baptizato ſunt, bona eſſe & laude digna perſuadere conati ſunt. Auguſtinus: *Quam* (carnis concupiſcentiam) *curavimus à nuptialibus bonis tam prolixa diſputatione diſtinguere propter novos hæreticos, qui, cum hæc reprehenditur, calumniantur, quaſi nuptias reprehendamus: ut ſcilicet eam tanquam bonum na-* B *turale laudando, ſuum peſtiferum dogma confirment quo aſſerunt prolem quæ per eam naſcitur nullum trahere originale peccatum.* Quæ diſputatio tanquam de ſumma rei tanta utrimque virium contentione incaluit ut duodecim illa libros Iuliani adverſus Auguſtinum totidem vel plures Auguſtini in Iulianum quibus ejus proterit argumenta pepererit. Vnde idem Auguſtin. cum conviciſſet aliquid in Apoſtolo Paulo iam baptizato remanſiſſe mali, quod pugnando comprimeretur, *En*, inquit, *tota veſtra cauſa impulſa, proſtrata, contrita, & ſicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ, ſic à cordibus eorum quos decipere cœperatis, ſi hæc voluerint depoſito ſtudio conten-* A *tionis cogitare, proiecta eſt.* Et infra luculentius: *Manet lex in membris, quia operatur deſideria contra quæ dimicant & fideles. Hæc eſt quod funditus ſubruit hæreſim veſtram. Quod uſque adeo videtis & timetis, ut non aliter ex his Apoſtoli vocibus exire conemini, niſi quanta poteſtis contentione aſſeveretis &c.*

*Lib. 1. de nupt. & concup. c. 35.*
*Lib. 2. cont. Iul. c. 3.*
*Ibid.*

Secunda cauſa quam libidinis patrocinio prætexebant hæc eſt, ut ab Apoſtolis & ſanctis viris injuriam propulſarent qua dicerentur, ut ipſe calumniabatur, *ſemper immoderata libidine fuiſſe polluti*, quaſi impetum concupiſcentiarum ferre & libidine pollui unum idemque eſſe credendum ſit. Hinc enim illa improba criminatio quod Auguſtinus *Peccantium obſcœnitates, Apoſtolorum & Sanctorum omnium conſolaretur iniuriis*, ac mentiretur *tantas obſcœnæ libidinis vires eſſe ut eam ratio regere ac frænare non poſſit, cui nec Apoſtolorum legio repugnaverit.*

*Lib. 1. ad Bonif.*
*Iul. apud Aug. lib. 3. cont. Iul. c. ult.*

Tertia, ne Auguſtino *credentes homines emendationis deſperatione frangerentur, & recederent ab eruditione Chriſti, quaſi ea præcipientis quæ capere mortalium natura non poſſit, quippe malo aggravata congenito.* Nam ut ſupra obſervatum eſt eorum vox erat, *ingenerata vitia incredibile eſt poſſe conſumi*; itemque illa, *ſi lex peccati in membris eſt inſerta naturaliter, ſane lex & cogens & naturalis & nunquam recedens ſuperari utique à voluntate non poteſt.* Hinc & illud: Non eſſe aliam Auguſtini intentionem quam *ad inferendum virtutibus bellum in vitiorum ſacramenta iurare, & ad excidium civitatis Dei, omni aſtu, omni furore conniti, adipiſcendo caſtitatis deſperatione, repugnantes turpitudini territare.* De quo late videndus eſt liber ſecundus contra Iulianum operis imperfecti.

*Iul. apud Aug. lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 166.*
*Lib. 2. cont. Iul. c. 1.*
*Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 101.*
*Lib. 3. cont. Iul. c. ult.*
*Lib. oper. imperf. f. 214 215. 216. 218. &c.*

Quarta, quæ ex præcedente naſcitur, ut A virtutum omnium facilitatem aſſerrent: *Eo propoſito non eſſe in natura malum defendimus,* inquit Iulianus, *ut ad virtutum ſtudia homines incitemus &c. atque ab hoc dicimus non eſſe in carne mali neceſſitatem, ut erubeſcat unuſquiſque laudabiliter conditus deformiter vivere, ac ſic pudor turpi occurrat ignaviæ de commendatione nobilitatis ingenitæ.* Quam cantilenam ſexcentis locis repetit.

*In Hortenſio. Lib. 5. cont. Iul. c. 7.*

Sexta denique eaque non infima, ut omnibus concupiſcentiæ bonæ motibus obſequendum eſſe ſtatuerent, *obſequendo* videlicet *naturæ cum ſine magiſtro*, ut ait Cicero, *ſenſerit quid natura deſideret.* Notavit hoc acute Auguſtinus: *Quam tu* (libidinem) *cum bonam naturaliter dicis, aſtute illi ſemper conſentiendum eſſe decernis, ne reniſu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe poteſt facillime vera eſſe etiam illa veſtra ſententia qua dicitis hominem ſine peccato eſſe, ſi velit quando licet quidquid libet quia bonum eſt quod naturaliter libet.* Quæ ſane ſpectaſſe Iulianum ex eo non obſcure colligas quod contra Auguſtinum, qui malos eſſe libidinis motus aſſerebat apte acuteque intuliſſe ſibi videbatur; *nec peccare eos omnino qui peccare dicuntur: ſiquidem a quocumque creati ſunt neceſſe habent vivere, nec ſuæ repugnare naturæ.* Si enim vera eſt iſta conſequentia adverſus eos qui illos natura motus veluti malos improbant, quanto erit in eorum opinione firmior, qui eos naturaliter bonos & laudabiles putant.

*Lib. 2. cont. Iul. c. 2.*

## De uſu vel fruitione libidinis, & quid nuptiæ.

## CAPVT DECIMVM.

VT vero accuratius Pelagianorum A mens de libidinum & cupiditatum uſu intelligatur, ſciendum eſt frequenter eos docuiſſe, concupiſcentias illas de quibus egimus non tantum eſſe naturales & bonas, ſed etjam uſum earum per ſe laudabilem, ſolum exceſſum in eis utendis eſſe vitioſum atque culpandum. Iulianus: *Merito itaque & in bene utentibus genus concupiſcentiæ modusque laudatur, & in turpibus exceſſus eius punitur. Illius voluptatis exceſſus à laſcivientibus perpetratus,* inquit alibi, *& quia de inſolentia non de natura contingit iure damnatur.* Quod ſimilitudine panis & vini eum explicuiſſe ſupra diximus, in quorum uſu excedendo peccatur. Hinc illud crebro ab eorum anteſignano repetitum: *Concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet bono bene utitur, qui modum non tenet bono male utitur:* Et illud: *Bona igitur concupiſcentia naturalis, quæ cum intra modum ſuum tenetur nulla* B *mali aſperſione turbatur.* Itemque *exceſſus eius in culpa eſt.*

*Lib. 2. de nupt. c. 19. Lib. 3. cont. Iul. c. 14. Ibid. c. 20. Iul. lib. 2. de nupt. c. 19. & lib. 3. cont. Iul. c. 21. Lib. 4. cont. Iul. c. 8. Ibid. c. 14.*

In figendis vero limitibus, intra quos modus ille teneretur vel committeretur exceſſus, laxiſſimus erat Iulianus. Docebat enim quod ad illius libidinis carnalis uſum ſpectat, de qua propter peccatum originale maxime augeatur, modum ejus ſervari quamdiu intra thori conjugalis limites teneretur: exceſſum vero committi ſiquis illum adulterio vel fornicatione tranſiliret. *Modus huius eſt in opere coniugali,* inquit, *exceſſus in intemperantia fornicandi.* Et iterum: *In coniugibus cum honeſtate exercetur.* Hoc eſt, interprete Auguſtino, honeſtus eſt iſte appetitus ſemper in conjuge. Vnde clarius ejus ſententiam exponens Auguſtinus ſic loquitur: *Tibi autem libido non niſi præter uxorem videtur eſſe culpabilis.* Et infra: *In quibus* (nuptijs) *libidini licentioſiſſimum ſpatium tribuiſti ne fortaſſis offenſa defenſorem ſibi alium provideret.* Per C illud igitur quod Apoſtolus monuit, ne in morbo deſiderij ſuum vas quiſque poſſideat, non uſum immoderatum conjugis, ſed fornicationem vetitam arbitratus eſt. *Atque ita,* inquit Auguſt. *temperantiæ totam honeſtatem de concubitu coniugum abſtulit ut nemo ſibi videretur in morbo deſiderij ſuum vas poſſidere, quantacumque libidine in uxoris genitalibus potuiſſet inſanire.* Sentiebat videlicet *nunquam in eis frænari concupiſcentiam, ſed quotieſcumque ſe commoverit ſatiari avidam, regnare ſecuram.* Quam ſuam ſententiam inde fucabat quod prolixâ diſputatione probaret *mulierem non niſi generandi cauſa eſſe inſtitutam*; & quod Apoſtolus vocaſſet *naturalem uſum fœminæ.* Itaque conventus conjugalis voluptas neceſſario *pudicitia* deberet nominari, quandoquidem impudicitia non poſſet dici.

*Lib. 3. cont. Iul. c. 13. Ibid. c. 14. Lib. 2. cont. Iul. c. 7. Lib. 5. cont. Iul. c. 9. Ibid. Teſt. Aug. 2. cont. Iul. c. 7. Lib. 2. de nupt. c. 19. & 3. cont. Iul. c. 20.*

Ex qua ſua ſententia trahebat aliud tanquam cõſectaneum Iulianus, nuptiarum eſſentiam in ſola carnali conjugum commixtione conſiſtere. *Quam commixtionem,* inquit, *de nuptiarum conditione & natura venire perſpicuum eſt, imo in qua ſola quantum ad conflictum noſtrum reſpicit, nuptiarum veritas eſt.* Auguſtinus: *Nihil aliud dicis eſſe nuptias quam corporum commixtionem.* Et alibi: *Non enim nuptialis, ſicut putas, propter carnis concupiſcentiam inſtituta eſt.* Vnde veluti Synonimis utebatur nuptijs & corporum commixtione: *ne nuptias, id eſt, commixtionem corporum diaboli opus vocares.* Imò eo uſque progrediebatur impietatis vel impudentiæ ut cõtra Auguſtini ſententiam probare conaretur inter Sanctiſſimam Virginem MARIAM & Ioſeph *quia concubitus defuit, nullo modo fuiſſe coniugium.* Neque Sacræ Scripturæ teſtimoniũ veritus, *quaſi maritus,* inquit, *Ioſeph in opinione omnium erat.* Et, *ſecundum hanc opinionem* volebat intelligi, *non ſecundum veritatem locutam fuiſſe Scripturam, ut Virginem* MARIAM *eius coniugem diceret.*

*Indicat lib. 4. cont. Iul. c. 8. Lib. 1. cont. Iul. f. 78. Lib. 5. cont. Iul. c. 16. Lib. 3. cont. Iul. c. 23. Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 234. Lib. 5. cont. Iul. c. 12. Ibid.*

De cæte-

## De cæterarum carnalium voluptatum fruitione, & cujus Philoſophicæ ſectæ Iulianus.

### CAPVT XI.

EX ijs quæ de carnalis libidinis fruitione inter conjuges diximus facile intelligi poteſt, quid de cæterarum voluptatum fruitione quibus terrenæ cupiditates inhiant, Pelagiani ſenſerint. Nam quamvis de illis vix ulla cum eis interceſſerit diſputatio, manifeſte tamen ſequitur, niſi à ſuis notiſſimis certiſſimiſque principijs diſcrepare velint, omnes omnino carnalium deſideriorum motus, quibus in ciborum delicias atque potuum, odorum ſuavitates, ſonorum concentus, oculorum blanditias aut ſpectacula, in divitiarum ſplendorem atque abundantiam, in honorum pompas cæteraque terrena bona concitamur & exardeſcimus, in eorum opinione fuiſſe bonos atque laudabiles: eorumque motuum voluptatibus, quæ in bonorum iſtorum adeptione percipiuntur, ſecundum ſe ſpectatæ, veluti naturalibus bonis ad ſatietatem uſque nos poſſe frui. Neque enim est ratio cur conjugis corpore & voluptate commixtionis, etiam ſine ulla ſpe prolis, ſecuriſſime liceret frui, & cæteris nemini noxijs voluptatibus non liceret. Nimirum ut iſtic, ita & hic dicerent ſolum exceſſum eſſe culpandum. Quem quibus limitibus terminarent, nullis expreſſis verbis eorum liquet. Credo nullum exceſſum committi dicerent cum illis per ſe delectandi dumtaxat cauſa quemadmodum corporibus mutuis conjugis, fruuntur homines, ſed cum alijs per injuriam auferuntur. Sic enim & adulteria fornicationes, & ſtupra prohibebant. Fatebatur enim teſte Auguſtino *aliam illicitam, aliam licitam eſſe voluptatem.* Ex quibus conficitur Pelagianorum doctrinam, partim Epicuream partim Stoicam fuiſſe. Humanum enim bonum non in ſola voluptate, ſed aliquam ejus portionem in virtute collocabant. *Quid ſi ego*, inquit Auguſt. *laudarem corporis voluptatem? Hoc enim tu ſatis eloquenter facis quod inerudite atque impolite faciebat Epicurus, quaſi propterea ſis eius adverſarius quia diſerte dicere non noverat ille quæ tu dicis.* Et oſtendens in quo ab invicem utriuſque ſecta diſcreparet, *rurſus*, ait, *ut ſentio laboraturus es, ut oſtendas te & laudatorem voluptatis eſſe, & Epicuræum non eſſe. Non es Epicuræus, quia ille totum hominem in corporis poſuit voluptate, tu autem magnam partem humani boni ponere in virtute conaris.* Nam quantum ad virtutem ac voluptatem attinet tres fuerunt ſectæ Philoſophorum quarum una virtuti voluptatem ſubdidit, ut nunquam voluptas poſſet, niſi in uſum virtutis aſſumi. Secunda prætulit ut voluptas appeteretur propter ſe: virtus autem nihil ageret, niſi ad illam aut conſequendam aut retinendam. Poſtrema duo iſta conjunxit, ita ſcilicet ut neutra earum propter alteram, ſed propter ſe ipſas ambæ quærerentur. Hæc Divomachum patronum & Calliphontem habuit. De quo Tullius, *Hominem iungit cum bellua*, ut Calliphon qui *voluptatem cum honeſtate coniungit*. Et Auguſtinus: *Etenim cum ille* (Calliphon) *putaverit in virtute animi & voluptate corporis eſſe hominis bonum, tu cum diceris virtutes & vitia voluiſſe coniungere.* Hanc porro Calliphontis & Divomachi ſectam defendiſſe Pelagianos aliquoties idem Auguſtinus eſt teſtis: *Si autem, ut aliquo loco ſignificaſti placet tibi ſecta Divomachi, honeſtatem voluptatemque coniungens quod Philoſophi quoque huius mundi qui honeſtiores vocantur, Scyllæum bonum eſſe dixerunt, ex humana ſcilicet natura, & belua utraque compactum; ſi ergo hoc monſtrum tua opinione ſectaris ſatis eſt nobis quod confueris aliam eſſe illicitam aliam licitam voluptatem.* Et luculentius Divomachi iſtius adeoque Iuliani ſententiam explicans: *Non enim*, inquit, *te adverſus iſtos* (Philoſophos honeſtiores) *defenderet, non dico Epicurus qui totum bonum hominis in voluptate corporis poſuit quia non quod ille tu ſentis; ſed Divomachus, huius quippe dogma tibi placuit. Nam ipſe coniungendam voluptatem arbitratus eſt honeſtati ut quemadmodum honeſtas ita voluptas per ſe ipſa appetenda videretur.* Cum ergo conſenſu illorum Philoſophorum duo iſta Pelagiani conjungerent exiſtimarunt voluptatis per ſe ſpectatæ appetitum tanquam naturalis cujuſpiam boni fuiſſe licitum atque laudabilem, nempe quoad alicujus alterius virtutis præcepto concurrente vetaretur. Hoc eſt enim quod Auguſtinus dicit, ut quemadmodum honeſtas ita voluptas per ſeipſam appetenda videretur, eo ſcilicet modo, quo hoc de carnalibus voluptatibus in conjugio ſolo delectationis intuitu præciſa etjam ſpe prolis, appetendis Iulianum ſenſiſſe declaravimus.

Lib. 6. cont. Iul. c. 16.

Lib. 3. cont. Iul. c. 21.

Lib. 4. acad. qq.

Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. ??

Lib. 8. cont. Iul. c. 16.

Lib. 4. cont. Iul. c. 13.

## De ignorantia parvulorum quid ſenſerint.

### CAPVT XII.

COMMVNE omnium Pelagianorum dogma fuit, ignorantiam ſicuti & difficultates, quas patitur omnis homo ab initio nativitatis ſuæ nullo modo ad miſeriam juſtæ damnationis, ſed ad naturæ inſtitutionem pertinere. Teſtis eſt Auguſtinus multis locis: *Quam miſeriam* difficultatis & ignorantiæ, *nolunt Pelagiani ex iuſta damnatione deſcendere negantes originale peccatum.* Et plenius alibi: *Etiamſi verum eſſet quod dicunt Pelagiani*

Lib. 1. Retract. c. 9.

Lib. de bono perſ. c. 11.

 ignoran-

*ignorantiam & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe naturæ, vincerentur tamen Manichæi.* Neque verò qui tot laudibus carnis concupiſcentiam in cælum tulerant, ab ignorantiæ quoque encomijs abſtinendum putarunt. Eo quippe dementiæ prorupit Iulianus, *ut perfectam ignorantiam* etjam juſtitiam nominari diceret: Alij, *nullum eſſe ignorantiæ malum & ideo nec purgandam, eo quod natura ſit hominis ſic incipere*: Alij, alio ſtultitiæ genere delirantes *parvulos cum in utero matrum prudentes vixerint, nimia negligentia in hac vita in illas tenebras eſſe ſubmerſos.* Sed hæc poſtrema opinio non videtur paſſim vel diu inter Pelagianos viguiſſe, ſed potius illa altera, quæ ignorantiam illam parvulorum non eſſe malam aſſerebat. Vnde Iulianus vocabat eam *ſimplicitatem* quam inſtituta à Deo natura ſuſciperet: *Qui* (parvulus, inquit,) *in ſucatâ primævitate felicior bonum ſimplicitatis ſuæ vitare non potuit, hoc ſolum retinens quod tanti opificis dignatione poſſedit.* Explicuit hanc parvulorum ignorantiam, ſeu

*Lib. 3. contra Iul. c. 19.*
*Lib. de pecc. merit. & remiſſ. c. 36.*
*Ibid.*
*Lib. 1 oper. imperf. cont. Iul. ſ. 61.*

A ut loquebantur *ſimplicitatem* accuratiùs fideliſſimus ille Pelagianorum interpres author quæſtionum veteris ac novi Teſtamenti docens eſſe ignorantiam ſine malitia. Nam cum quaſi Scripturæ teſtimonium adduxiſſet quod parvuli Iſraëlitarum intraturi eſſent in terram Chanaam *eo quod neſcirent bonum aut malũ. Neſcire autem bonum vel malum*, adjicit, *ſimplicitas quædam eſt naturalis quæ neque ad bonum neque ad malum erudita eſt: hoc eſt, ignorantia ſine malitia ſive ſenſu enim naſcimur, ſed noſtra natura capax eſt diſcere veritatem.* Et inferiùs: *Sic enim Deus inſtituit genus noſtrum, ut ſine ſenſu rea naſcamur, tamen erudiri ad utrumque.* Itaque ignorantiam hanc parvulorum negaſſe videntur eſſe privativam vel culpabilem, ſed eſſe tantummodo innocentem quandam neſcientiam, qualis fortè eſt etjam beſtiarum in quibus cum ætatis provectu etjam ſagacitas illa naturalis adoleſcit. Atque hæc de ignorantia cum qua naſcimur.

*Autor qq. vet. & novi teſt. p. 1. q. 3. & p. 2. q. 41*

## De ignorantia adultorum, invincibili, vincibili.

## CAPVT XIII.

DE adultorum verò ignorantia celebris fuit Pelagianorum ſententia, *ignorantiam non eſſe culpabilem.* Docuit eam in libro quodam ſuo Celeſtius, unde & magiſtro ejus in Synodo Palæſtina reo his verbis objecta eſt: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato.* Hoc autem eos intellexiſſe de ignorantia quam invincibilem vulgo nuncupant ex eo manifeſtè liquet quod continuo rationem ex neceſſitate petitam ſubjicit: *Quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt ſed ſecundum neceſſitatem.* Sed longè clarius hoc patefecit Critobuli tanquam Pelagiani cum Attico apud S. Hieronymum diſputatio. Etenim probare volens ignorantiam non habere peccatum: *Rogo*, inquit, *quæ eſt iſta juſtitia ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei quam neſcio pœnas luo? Et quo plus faciam ſi ſponte peccavero?* Quæ ſanè locum non habent ubi ſpontaneæ voluntatis negligentia peccato locum dedit. Et libro ſecundo idem Critobulus: *videris hominum*, ait, *accuſare naturam ac per hoc invidiam referre in Deum, ſi tales homines condidit, ut oblivione & ignorantia peccato carere non poſſint* &c. *ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur & vitium.* Et paulò poſt: *Nunquid & de Evangelio poteris hoc approbare, ut puniatur quiſpiam pro eo quod neſciat & ante pœnas luat, quam reus ſit conſcientiæ?* Et adhuc inferiùs: *Da teſtimonium non inſtrumenti* (veteris) *ubi error & ignorantia & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine.*

*Aug. lib. de geſt. Pelag. c. 18. & 35.*
*Apud Hier. adverſ. Pelag. lib. 1. verſ. finem.*
*Apud eundẽ lib. 2. adverſ. Pelag. initio*
*Ibid.*
*Ibid.*

Quod autem iſta omnia de invincibili quam dicunt ignorantia & errore intelligant, omnem tergiverſationem ac ſcrupulum tollit alia Pelagianorum ſententia, qua vincibilem ignorantiam culpæ obnoxiam eſſe ſine ullis ambagibus conſtanterque docuerunt. Nam imprimis Iulianus graviter culpabat non minus ſciendi negligentiam, quam culpandi ignoratã temeritatem. *Ecce*, ait Auguſt. *meritò reprehendiſti eos qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere vel non formidant ignorata culpare.* Ex profeſſo autem ſcientiæ ſtudio eſſe vacandum, ac vincibilem illam ſeu contractam negligentiâ voluntatis ignorantiam non eſſe ſine culpa in Epiſtola ad Demetriadem Pelagius probat. *Prima igitur*, inquit, *virginis cura primumque ſtudium ſit ſcire voluntatem domini ſui, & quid ei placeat, quidve diſpliceat diligenter inquirere &c. impoſſibile eſt enim ei quemquam placere, cui quid placeat ignorat, fierique poteſt ut etiam obſequendi voto offendat, cui quomodo obſequi debeat, ante non didicit.* Et infra: *Vnde Propheta dicit; Et tu Iſraël noli ignorare. Et Beatus Paulus: Qui autem ignorat ignorabitur. Idemque alibi: Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei. Initium obedientiæ* B *eſt quod præcipiatur velle cognoſcere, & pars eſt obſequij didiciſſe quod facias.* Nempe ubi præcipi dicitur ut velimus cognoſcere, & nolimus ignorare, negligentiam voluntatis, ſecutamque ex negligentia ignorantiam culpabilem aſſeri, dubitari nullâ ratione poteſt. Nam obſequendi voto offendere contra præceptum; obedientiam nolle cognoſcere; imprudentem eſſe; ignorando efficere ut ignoremur à Deo, culpa vacare nemo dixerit. Et ne quis de ſenſu Pelagij remaneret ſcrupulus, eum ipſe expreſſis verbis alio in libro promit: Nam tractans de peccatis ignorantiæ dicit: *hominem prævigilare debere ne ignoret, ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet.* Nec mirum, cum peccata quæ ex tali ignorantia proficiſcuntur potius negligentiæ quam ignorantiæ peccata nominanda ſint.

*Lib. 6. cont. Iul. c. 1.*
*Lib. de nat. & gratia c. 17.*

De

## De morte quid ſentiant.

## CAPVT XIV.

MORTEM corporis eſſe naturalem jam ſupra diximus ſentire Pelagianos. Et quia facilè videbant naturalia non poſſe eſſe peccati ſupplicia, hinc mortem velut pœnam inflictam eſſe pernegant. Vnde aliud eorum dogma: *quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.*

*Lib. de geſtis Pelag. c. 11.*

Ad negandum autem, cogebantur ex dogmatum ſuorum cohærentia, ne ſi mors velut peccati pœna tranſiret, & peccatum tranſiſſe ſequeretur. Notavit hoc Auguſtinus: *Mortem qua morimur, non vis ex peccato in omnes feciſſe originaliter tranſitum, ne cogaris fateri, ſimul etiam originaliter tranſiſſe peccatum: cernis quippe quam iniquum ſit ſine merito tranſiſſe ſupplicium.* Hinc Pelagius: *Hominum*, dicebat, *ſine peccato mori potuiſſe.* Vt etjam Adam & poſteros ejus ſine peccato mori potuiſſe veriſimile videretur. B Cæterum ne ex ipſo acerbo mortis ſenſu pœnalis eſſe putaretur, mortem ſtatuerunt non eſſe malam. *Mors*, inquiunt apud Auguſtinum, *non ſemper eſt malum cum & Martyribus ſit cauſa præmiorum, & vel bonam vel malam mortem dici faciat, non reſolutio corporum, quæ excitabitur in omni genere hominum ſed meritorum diverſitas quæ de humana libertate contingit.* In qua opinione peripateticos duces deſerunt, quos in pleriſque ſuis dogmatibus alioquin ſequi ſolent. Stoicorum enim proprium fuit, morbos, imbecillitatem, ac mortem per ſe neque bona neque mala deputare, ſed ea vocare neutra, media, interjecta adjaphora ſeu indifferentia, ita ut nonnulli cum Pyrrhone atque Ariſtone Chio *inter optime valere & graviſſime ægrotare, vivere atque mori nihil dicerent intereſſe.* Quæ peripatetici omnia mala eſſe confirmant. Diſtingunt itaque inter [a] mortem æternam & temporalem, illam mortem animæ vocant [b] *pœnalem* C & [c] *judicialem*; quòd juſto Dei judicio tam Adamo quam omnibus ejus peccatum imitantibus infligatur; hanc *communem & naturalem, qua non ſolum peccantes ſed & iuſti moriuntur*, illā volunt intelligendam in eo quod dicit: *Et per peccatum mors, quia mors animæ in peccato fit*, & quoniam Adamum reum & damnationi *mortis perpetuæ* deſtinatum mundus aſpexit. *Et ita in* A *omnes homines pertranſiit, quia una forma iudicij*, inquit Iulianus, *prævaricatores quoſque etiam reliqua comprehendit ætatis.* Hanc in illo ad Corinthios loco, *per hominem mors*, non quidem peccati ipſius merito, ſed *quia primus ipſe eſt mortuus*, ſicut, *per hominem*, Chriſtum, *reſurrectio mortuorum, quia primus reſurrexit.* Fari modo cæteras quoque corrumpebant Scripturas quibus premebantur. Nam illud *in quocumque die comederis ex eo morte morieris*, non ad mortē corporis ſed ad mortem animæ quæ in peccato fit retulere. Illud verò *corpus quidem mortuum eſt propter peccatum*, eo modo dictum eſſe voluere quo dicit Apoſtolus, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram propter peccatum, hoc eſt, *ut peccatum non fiat.* Nonnulli tamen Epiſcopi Pelagiani poſt damnationem iſtius erroris, illam ſententiam mitigarunt. Docuerunt enim Auguſtino teſtante, B *ex Adam nihil mali tranſiſſe per cæteros niſi mortem.* Portam aperuit iſti opinioni, ut alijs multis Origenes; qui libro quinto Commentarij in Epiſtolam ad Romanos ita de tranſitu peccati in omnes diſputat ut cum Pelagio totū imitationi tribuat, mortem tamen communem quā omnes morimur in poſteros trāſiſſe arbitratur. Imitatus eſt eum autor quæſtionum veteris ac novi Teſtamenti: *Quod quidem*, peccatum Adæ, *nihil obeſt homini, ſi tamen legi Dei obediat, niſi quod moritur.* Acceſſit eidem opinioni propius Ambroſiaſter ille commentator in Epiſtolas Pauli: ſed in quo differat fuſius alioi declaratum eſt.

*Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. f. 275.*
*Lib. de nat. & grat. c. 24.*
*Lib. 4. ad Bonif. c. 2.*
*Cicero 4. de finibus*
*a Lib. de pec. merit. c. 8. & 9.*
*b Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 398.*
*c Lib. 2. f. 276.*
*Pelag. in Comment. c. 5 ad Rom. num. 32.*
*Lib. 1. de pec. merit. c. 8. & 9.*
*Iul. lib. 2. operis imperf. f. 274.*
*Ibid.*
*Pelag. in Comment. in 1. ad Cor. c. 15. num. 55.*
*Geneſ. 2.*
*Lib. 2. de pec. merit. & remiſſ. c. 21.*
*Ibid. c. 6.*
*Lib. 4. ad Bonif. c. 2. & 4.*
*q. 127.*

Sed præter iſtas quas recenſuimus alia mirabilis quorundam tempore Auguſtini fuit novitas. Docuerunt enim *omnem hominem etiam nunc immortalem creari à Deo*; quod autem moriuntur etjam parvuli in uteris conſtituti, non ex peccato Adæ, ſed ex proprio, quod ab eis C vel in uteris matrum perpetratur accidere: quæ ſententia tametſi in originalis peccati negatione, & actualis in utero affirmatione Pelagiana ſit, à principijs tamen Pelagianis penitus in aſtruenda naſcentium immortalitate diſſentit. Et quia nullam ejus præterea inter antiquos mentionem reperi, videtur eodem tempore nata ſimul & mortua.

*Refert Auguſtin. Epiſt. ad Paulin. c. 6.*

## De cæteris miſerijs humanæ naturæ.

## CAPVT XV.

DE cæteris humanæ vitæ ærumnis idem prorſus quod de morte ſenſerunt, nempe non eſſe illas ullius peccati pænam. Auguſt. *Iudicia Dei vos evertitis, qui generis humani miſerias incipientes à* A *parvulis ſine ullo peccati merito fieri dicitis.* Et alibi: *Nec ullius peccati merito hæc perpeti parvulos dicitis.* His autem tam evidentibus calamitatibus cùm iſtam mortalitatem affligi & conteri cernerent, malas tamen eſſe contentioſiſſime pernega-

*Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. f. 107.*
*Lib. 2. in fin.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

negabant, quaſi naturæ ipſius ſub earum pondere gementis, voces velut maris fremitum poſſent vel negando tollere vel clamando ſuperare. Conſtans enim eorum vox fuit: *Parvulus nec in anima nec in carne ullum habet malum:* unde pervicaciæ eorum obſiſtens Auguſtinus: *Profecto iſtas omnibus apertas a parvulis incipientes humanæ vitæ miſerias, cum tuis deceptoribus non negares, ſed unde in eas collapſa ſit noſtra natura cum Catholicis doctoribus diceres.* Et irridens ſtultam illam negandi res apertiſſimas pervicaciam, *hæc autem mala parvulorum*, inquit, *non ea quæ habere negantur à vobis, ſed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omnino nec reſpicis: et ſpatiaris ibi vir diſertiſſimus & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ.* Negabant igitur miſerias illas parvulorum, non quaſi nullo earum ſenſu eos tangi dicerent, quod ipſa experientia convincente fateri cogebantur, ſed quod eas perinde ut mortem omnium miſeriarum terribiliſſimam, non eſſe mala ut ſupra diximus, ſed neutra vel adiaphora, cum Stoicis ſentirent. Quo ſenſu Auguſtinus dixit humanam naturam habere Pelagianos *malorum ſuorum negatores.*

*Lib. 1. oper. imperf. cont. Iul. f. 28.* — *Ibid. f. 96.* — *Lib. 3. cont. Iul. c. 3.* — *Lib. 4. ad Bonif. c. 4.*

## Synopſis de prædictis defectibus.

## CAPVT XVI.

PORRO de omnibus illis quos recenſuimus humanæ naturæ defectibus ac vulneribus definitiva eorum ſententia fuit: *quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit & non genus humanum.* Nam quamquam poſt Pelagij in Palæſtina Synodo damnationem aliquam generis humani læſionem Adæ peccato factam eſſe faterentur, ea tamen *imitationis* duntaxat, non *propagationis* in ſenſu eorum fuit. Quam peſtilentiſſimam opinionem inde potiſſimum vel hauſerant vel perſuadere nitebantur, quod nulli iſtorum vulnerum Chriſti baptiſmus & gratia in iſta vita mederetur. Audi eorum de morte ratiocinationem: *Si primi hominis peccato factum eſt ut moreremur: Chriſti adventu fieret ut credentes in eum non morerentur.* Et addunt quaſi rationem: *Neque enim prævaricatoris tranſgreſſio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit ſalvatoris.* Sed exſertis viribus hoc agit inſtantiſſime Iulianus: *Si Adam præter voluntatis opera ipſius naturæ inſtituta ſubvertit, nihil debuit magis Chriſtus quam ea quæ ab illo fuerant eliſa reparare, his videlicet veſtigijs, quibus ille ſubruerat, id eſt, & in nuptijs baptizatorum nequaquam ſentiretur libido, nec eodem modo quo etiam cæterarum gentium genitalia moverentur, recederet poſtremo poſt donum gratiæ coëuntium pudor, nec iret per membra quietis mutatio nec paterentur ſenſu ſevera dulcedinis, liberum poſtremo baptizatis redderetur arbitrium; imo penitus nec mortales qui ſacramentis imbuuntur eſſe deberent. Si enim pugnat medicina cum vulnere, & mors peccato dicitur accidiſſe ablationem mortis amotio peccati debet operari &c.* Et infra perficiens argumenti curſum: *Verum nihil horum quæ diximus, baptizatorum conſtat evenire corporibus. Non potuiſſe autem aliter, id eſt, non debuiſſe quam his medicina non curaverit confitendum tibi eſt, aut illa quæ prius enumeravimus accidiſſe peccato, & ideo nec vulnera fuiſſe naturæ ut conſtet ratio gratiæ, per quam manifeſtum eſt illa de ſuis ordinibus mota non eſſe: aut certe negandum in myſterijs Chriſti quicquam eſſe medicinæ qui de tot ſecundum te morbis ne unum quidem ſanare potuerit.* Et breviter glomeratimque alibi: *Si aliquid in motibus genitalium, in ſenſibus coëuntium, in obſcœnitate membrorum, in infelicitate naſcentium antiquum crimen effecerat, mutationem horum quæ diximus, remedia contuliſſent, alioqui grande teſtimonium imbecillæ artis, nihilque profuturæ, nec locum ægritudinis inveniſſe, & languentibus, everſiſque naturalibus, inertia fomenta voluntatibus admoviſſe.* Vbi ſub *infelicitate naſcentium*, quam ita in ſenſu Auguſtini non ſuo nuncupat, omnes reliquas ſive mortis ſive corporalium ægritudinum atque afflictionum, ſive animi perturbationum miſerias, cum quibus omnes obnoxij naſcimur, comprehendit. Et hæc de vulneribus quæ naturæ humanæ negant per peccatum Adami eſſe inflicta ſufficiant.

*Lib. de geſtis Pelag. c. 11. & ult.* — *Lib. 1. contra Iul. c. 5.* — *Lib. 1. de pec. merit. & remiſſ. 30. & 33.* — *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 292. & ſeqq.* — *f. 344.*

## De ſtatu naſcentium. Omne malum ab eo removent.

## CAPVT XVII.

NVNC paucis tangendum, in quo ſtatu parvulos ex Adamo naſci putent.

Solemnis Pelagianis conſuetudo fuit, parvulorum integritatem magnificis elogijs prædicare, quibus vel *mala* ab eis tollerent, vel *bona* tribuerent; eaque ſive *naturæ*, ſive *morum*. De ſingulis aliquid delibandum eſt.

Ex eadem maſſa omnes creatos eſſe parvulos libentiſſime confitentur, hoc enim veluti ſcuto ſe protegunt, contra illam divinæ prædeſtinationis diſcretionem, ex qua neceſſario duas hominum maſſas ſive naturas unam bonam alteram malam in Catholicorum opinione ſequi credunt, quarum alteri ſalus, alteri damnatio ex neceſſitate deberetur. Hinc illa eorum apud Auguſtinum objectio, *numquid ergo hominum naturæ duæ ſunt?* contra quos alibi idem

*Lib. de dono perſ. c. 8.* — *Lib. 1. cont. Iul. oper. imperf. f. 195*

idem: *quorum certe omnium* (parvulorum) *unam eſſe malam non poteſtis negare qualemlibet eam putetis.*

Primo igitur ab hac maſſa parvulorum removent omne omnino malum ſive corpus ſive animum ſpectet, ſive culpam quæ in alicujus peccati traductione conſiſteret ſive pœnam. De peccati malo quæ mors eſt animæ, quo eos in Adamo periiſſe negant jam ſupra ſatis diximus. Unde Auguſtinus: *Sed vos egregii Chriſtiani reſpondete Chriſto: ſi quod perierat quærere, & ſalvare venisti, ad parvulos non venisti.* De ægritudine quæ ad operandum debiles facit ſic idem Auguſtinus: *Cernitiſne quo tendat & quo manus porrigat hæc diſputatio, ut omnino fruſtra dictum putetur, Vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Quomodo enim ſalvum faciet, ubi nulla eſt ægritudo? Peccata quippe ſecundum iſtum* [illegible] *non poſſunt.* Quamquam ſub ægritudinis nomine aliquando etiam ſimul ipſum peccatum & ægritudinis cauſa intelligatur juxta illud ejuſdem: *nulla originalis peccati ægritudine ſaucii ſunt, quomodo ad medicum Chriſtum* [illegible] *ſacramento ſalutis* [illegible] *portantur.* Unde breviter [illegible] ſententiam de malorum omnium immunitate comprehendens: *Vos potius*, inquit, [illegible] *ſævitis in parvulos, quia quem nec* [illegible] *carne illum malum habere dicitis, per Chriſtum* [illegible] *ex parte permittitis.* Et hæc eſt cauſa cur toties Auguſt. illam ingeminet querimoniam quod parvulis Chriſtum negarent eſſe *Jeſum*, quia nihil in eis vel in corpore vel in anima ſalvandum ſanandumque reperiret: *Et prædicari prædicat vos ſic eum prædicatis Chriſtum ut eum negetis parvulorum eſſe Jeſum, quia, ut alio in loco, Jeſus ſalvator interpretatur. Quod enim parvulis eſſe non vultis, quia nihil eos habere unde illos ſalvos faciat, prædicatis.*

Sed inter elogia quibus parvulorum à malis omnibus puritatem extollunt maximè prædicant innocentiam quaſi contra omnes eorum accuſationes ſola ſufficeret. Auguſt. *Naturam dicitis innoxiam in exordiis naſcentium innocentiæ eſſe plenam.* Et ipſe Julianus apud [illegible] *innocentiam ſcelus gravavit externum? Pat..ergo quis eſt iſte innocentium addictor?* & rationem illius innocentiæ reddit alibi: *Ex quibus neceſſario conficitur nos rectiſſime defendere neminem cum peccato naſci, & Deum reos non poſſe judicare naſcentes & ante voluntatis propriæ uſum, innoxiam* (id eſt innocentem) *in unoquoque naturam.* In cujus commendationem *naturalis innocentiæ*, ut ipſe loquitur parvulos prædicare ſolet, & vocare *novos homines*, & *rude opus Dei*, quod tantæ puritatis eſſe ſtatuit ut nec in corpore nec in anima ipſi Chriſto cedat. *In iis*, inquit Auguſt. *ut nulla ſit caro peccati ne hæc ſit & Chriſti.* Clarius mens eorum promitur in libris Auguſtini ad Bonifacium, ubi cum dicerent Chriſtum *Dominum nulla macula peccati fuiſſe reſperſum quantum attinet ad ejus infantiam*: interpretem impietatis illius agens Auguſtinus, ſubjicit: *quia nec ejus carnem ab omni peccati contagione priſtinam non excellentia propria & gratia ſingulari ſed communione naturæ quæ omnibus ineſt infantibus aſſeverant.* Et alibi: *Iſte Pelagius carnem omnis infantis carni Chriſti conatur æquare.* Eò ſpectat quoque quod de animæ origine plerumque quæſtionem ingerunt, *ſic animæ Chriſti coæquare molientes omnes animas parvulorum.* Contra quas impias comparationes Pelagianis proprias ſic Auguſtinus intonat: *Quiſquis carnem Chriſti ita carni comparat naſcentium hominum cæterorum, ut aſſerat utramque eſſe puritatis æqualis, deteſtandus hæreticus invenitur.* Ex his ergo intelligi poteſt alterius cujuſdam dogmatis Pelagiani ſenſus quo Celeſtius dicere ſolitus erat: *Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ, omne genus hominum moriatur: neque per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgat.* Reſurrectio enim illa intelligitur quæ non mortem tantum corporis ſed etjam animæ quod eſt peccatum abſorbet. Illa quippe reſpondet morti & prævaricationi Adæ quæ præceſſerat. Cujus dogmatis Pelagiani ratio eſt, quia ſicut neminem Adæ peccato putabant morte corporis mori, ita nec opus eſſe Chriſti gratia vel reſurrectione reſurgere, ſed utrumque accidere per naturam. Anima verò non niſi peccato moritur, quo quandoquidem omnes parvuli carent & adulti per naturam aut legem poſſunt carere ſi velint, perſpicuum eſt *neque per reſurrectionem Chriſti quantum ad animam omne genus hominum reſurgere.*

Lib. 2. de nup. — Lib. de natura & gratia c. 20. — Lib. 1. de pec. merit. & remiſſ. c. 18. — Lib. 1. cont. Jul. oper. imper. f. 27. — Ibid. f. 28. — Lib. 1. cont. Jul. c. 4. — Lib. 3. cont. Jul. c. 4. — Lib. 1. oper. imperf. cont. Jul. f. 43. — Lib. 2. f. 225. — Ibid. f. 254. — Ibid. f. 240. & 413. — Lib. 5. cont. Jul. c. 15. — Lib. 4. ad Bonif. c. 2. — Ibid. & infra c. 4. — Serm. 31. de verb. Apoſtoli c. 8. — Aug. ibid. c. 2. — Lib. 5. cont. Jul. c. 15. — Lib. de geſtis Pelag. c. 11.

## Multis titulis naturam parvulorum ornant, imò felicitatem tribuunt.

## CAPVT XVIII.

SED parum eſt Pelagianis à parvulorum carne atque anima ſordes omnes, atque omnia ſuſtuliſſe mala, niſi etjam in eos cornucopiæ bonorum ac felicitatis effunderent. Nam quamvis quantum ad intelligentiam ſpectat, neque [a] *ſcientiam eis neque conſcientiam* tribuant, illam tamen eſſe [b] *ignorantiam ſine malitia*, & proinde neque [c] *purgandam* quaſi eſſet *malum*, ſed etjam [d] *ſimplicitatis naturalis bonum* imo [e] *juſtitiam* eſſe delirant. Quantum ad voluntatem ſeu illam rationalis animæ partem qua bonos vel malos etjam parvulos dicimus, ipſi eos quaſi in medio perfecte collocant, ut neque [f] *juſti ſint neque injuſti ſeu pec-*

a Lib. 5. cont. Jul. c. 1. & 2. cõt. Jul. oper. imper. f. 45.
b Aut. qq. vet. & novi Teſt. p. 1. q. 8.
c Lib. 1. de pecc. merit. c. 36.
d Aut. qq. vet. & novi Teſt. loco cit. & Aug. lib. 1. oper. imper. f. 51.
e Lib. 3. cont. Jul. c. 19.
f Lib. 1. de pecc. merit. c. 19. & 3. con. Jul. c. 19.

g Ibid c. 20. h Lib. 6. cont Iul. c. 10. & lib. 1. oper imperf. cont. Iul. f. 303. i Aut. qq. vet ac novi t eſt. p. 1: q. 8: k Pelag. lib. 1. de lib. arb. apud Aug: lib. de pecc. orig. c. 13: l lib. de grat. Chriſti c. 18:

ſeu peccatores, neque [g] credentes neque increduli filii, [h] nihil de proprio boni merentes aut mali [i] capaces tamen ad utrumque erudiri. Audite Pelagium diſcipulis ſuis præcinentem. [k] Omne bonum ac malum quo vel laudabiles, vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur à nobis; capaces enim utriuſque rei non pleni naſcimur, & ut ſine virtute ita & ſine vitio procreamur. Atque ante actionem propriæ voluntatis id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit. Quid ſit autem hoc, quod Deus condidit, clarius & fuſius diſſerit alio in loco, nempe, [l] poſſibilitas utriuſque partis à Deo inſita, velut quadam radix fructifera atque fœcunda quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat. Accipite jam diſcipulum fideliſſime præceptori ſuccinentem: [m] Homo igitur innocentia quidem plenus ſed virtutis capax naſcitur aut laudem aut reprehenſionem ex propoſito accedente meriturus. Et luculentius alibi: [n] Ille enim (adultus) innocentiam quam exortus acceperat, prava actione corrupit: hic vero (parvulus) ſine laude ſine crimine voluntatis hoc ſolum habet, quod à Deo conditore ſuſcepit; qui infucata primævitate felicior, bonum ſimplicitatis ſuæ vitare non potuit, nullum habens de actibus meritum ſed hoc ſolum retinens, quod tanti opificis dignatione poſſedit. Ex quibus ſanè manifeſtè liquet ita Pelagianos naturam hominis recenter nati capere, quemadmodum eam Ethnici capiunt, ut nihil prorſus in eo ſit quod vel vitij vel peccati nomine vel ulla reprehenſione majorique naturæ exaltatione dignum ſit ſicut hoc Catholici de naſcentibus ac baptizatis credunt; ſed tantum pura quædam mali alicujus moralis bonique capacitas ac poſſibilitas, quorum utrumvis à voluntate atque actione ſecutura ſortiatur nempe ut integra cum ſuis omnibus membris ac potentijs naſcuntur bruta ita & hominem cum naturalibus ſuis facultatibus omni bono ac malo, laudabili ac vituperabili vacuis procire arbitrantur: quæ quidem omnia illô duntaxat ſenſu bona ſint, ſicut omnis creatura ſecundum id quod habet à Deo condita atque inſtituta eſt, bona dici ſolet. Hoc eſt ergò illud quod Iulianus dicit: [a] Deum imaginem ſuam id eſt omnes homines bonos condere: [b] filios ex conjugio ſuſceptos eſſe naturaliter bonos. Hoc illud quod Pelagius: [c] Sani ſunt propter quos medicum quæritis. Hoc illud, quod [d] ſalvos dicerent. Itemque quod vivos ſanoſque laudando vivificari, ſanarique non vellent. Hoc illud quod tantopere prædicabant [e] bonum inviolatæ inculpatæque naturæ. Hæc illa eorum argumenta [f] de laudabili ſanitate & puritate naturæ argumentatio, quâ Auguſtin. repercuſſam confractamque diſſilire confirmat. Hæc denique illa [g] ſanctitas, quam naſcentibus adſcribendam docent. Vbi ne quis veram ſanctitatem accipiat qualem primo homini in ſua conditione datam credimus occurrit alia doctrina ſæpius repetita Iuliani qua tradit poſtmodum per baptiſmum [h] bono innocentiæ naturali bonum ſanctificationis accedere; nempe ut ita [i] quos Deus fecerat ſic alibi loquitur, condendo bonos facit innovando adoptandoque meliores. Quam bonitatis naturalis atque gratuitæ diſtinctionem ne quis in Pelagianorum opinione confundi putaret dilucidis verbis tollit hanc ſuſpicionem cum dicit: [k] ad Eccleſiam deferuntur (parvuli baptizandi) ut laudent Deum quem & bonorum naturalium & donorum ſpiritualium proteſtantur autorem.

m Iul. apud Aug. lib. 3. cont. Iul. c. 19

n Lib. 1. oper imperf. cont Iul: f. 61.

a Lib: 1: oper imperf: cont: Iul: f. 181: b Lib: 2: de nupt: c: 19: c Lib. de nat: & grat: c. 21 & ſerm: 8: de verb. Apoſt c: 6: d Lib: 2. cont: Iul: operis imperf: f. 379 e Lib: 6. cont Iul: c. 1: f Lib: de pec: orig: c. 4:

g Lib: 3. cont Iul: c: 26: h Lib: 6. cont Iul: c: 16: i & lib: 3. c. 3: k Lib: 1. cont Iul: operis imperf: f. 70

Quod ergo inter quoſdam Pelagianos jactatum legimus, parvulos propria per liberum arbitrium habere peccata, idque inde confici quod Iacob & Eſau intra viſcera materna luctati ſint: inter alios vero, hujus ætatis meritum à Domino eſſe laudatum, ubi ait, ſinite parvulos venire ad me &c. inter alios denique, parvulos mox natos illuminari, ab eo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; vituperationis quidam fuit & laudis exceſſus, ad quem non tam dogmatis ſui electione, quam connexione quadam, & alterius hæreſeos tuendæ neceſſitate cogebantur, ut propria liberi arbitrij merita etiam in parvulis gratia & pœna ſequerentur, nam perpetua eorum ſententia & conſtans & ex profeſſo ſuſcepta defenſaque fuit quam hactenus de naturali parvulorum innocentia puritate, bonitate, & ſanctitate explicuimus. In quibus prædicandis ita facundiam ſuam exercuit Iulianus, ut etjam, quod bonitatis faſtigium eſt, eis felicitatem in hac mortali vita tribueret. Qui parvulus (ut ille) infucata primævitate felicior, bonum ſimplicitatis ſuæ vitare non potuit. Et expreſſius alio in libro vocat parvulos Innocentes infucata primævitate felices, eorum ſtatum, ſtatum innocentium. Nec mirum. Cum enim omnium conſenſu etjam Pelagianorum primus homo ante omne peccatum in ſtatu felicitatis cujuſdam & innocentiæ conditus fuerit, & infantes nuper nati juxta aliud eorum dogma capitale, in illo ſtatu ſint in quo Adam ante prævaricationem fuit, quid aliud ſequi poteſt, niſi eos eſſe in ſtatu primæ felicitatis & innocentiæ.

Aug: Epiſt: 106: & ſerm 7: de verb: Apoſtol.

Iul: lib: 1: apud Aug: cont: Iul: f. 61 operis imp: Lib: 2: cont: Iul: operis imp: f: 323; f: 324:

## Parvulis ſine baptiſmo morientibus Pelagiani tribuunt vitam æternam. Quid illa; an beatitudo naturalis? Quid regnum cœlorum.

## CAPVT XIX.

ET quidem mirum eſſet, ſi felicitas manente eadem parvulorũ innocentia in illa ætate morientibus poſt hanc vitam tolleretur. Neque enim Deus infelicitatis ſive miſeriæ author eſſe poteſt, niſi peccato perpetrato hujuſmodi pœna debeatur, viderunt hoc expreſ-

*Lib. 2. operis imperf. f. 311.*

A expreſſeruntque ſæpius Pelagiani: *punire non peccantes*, inquit Iulianus, *non poteſt Deus ſine everſione juſtitiæ.* Quapropter celeberrima eſt eorum ſententia; *Infantes etſi non baptizentur habere vitam æternam.* Quod in Epiſtolis Auguſtini ſic exprimitur: *Infantem non baptiſatum morte præventum perire non poſſe merito, quoniam ſine peccato naſcitur.* Et in libris de peccat. merit. & remiſſione, *ſalutem vitamque æternam habituri ſunt quoniam nullius peccati vinculo obſtricti ſunt.*

*Lib. de geſtis Pelag. c. 11. & ult. & alibi. Epiſt. 88. Hilarij ad Aug. & Epiſt. 89. Lib. 1. c. 30.*

Quid autem per vitam æternam, & ſalutem æternam Pelagiani intelligant magna & difficilis diſputatio eſt. Quædam certa ſunt, quædam incerta. Certum eſt vitam æternam non eſſe regnum cœlorum quod Sanctis cum Chriſto regnantibus in reſurrectione tribuetur. Conſtanter enim adhærent divinæ ſententiæ qua pronuntiavit Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei.*

*Ioan. 3.*

B Certum deinde vitam æternam æternæ morti eſſe contrariam, quid enim privatio vitæ niſi mors? per quam tam ipſi quàm Catholici æternam illam damnationem quæ peccatoribus in inferno infligetur intelligunt, hanc à parvulis non baptizatis aſſeverantiſſime removebant. Hinc contra Iulianum Auguſtinus; *Verum vos quoque quos eſſe velut liberos ab omni damnatione defenditis* &c. Nam hoc eſt illud quod ſupra dixerunt, *eos perire non poſſe* qui ſine peccato ſunt, & quia perire ſine peccato injuſtum eſt. Vnde Auguſtinus: *Nam & hi quibus videtur iniuſtum, ut parvuli ſine gratia Chriſti de corpore exeuntes non ſolum regno Dei, quæ & ipſi fatentur, niſi per baptiſmum renatos intrare non poſſe*, verum etjam vita æterna & ſalute priventur, *qua negata, quid*, inquit idem, *niſi mors æterna remanebit?* Et preſſius alio loco: *Non accipientes vitam, utique conſequenter æterna morte damnantur. Quis enim negabit id eſſe conſequens ut mortem habeant qui non habent vitam?*

*Lib. 5. cont. Iul. c. 11.*

*Epiſt. 88. apud Aug.*

*Lib. 1. de pec. merit. c. 21.*

*Epiſt. 106. ad Paulin. Lib. 2. ad Bonif. c. 4.*

C Itaque vita illa æterna & ſalus aliquod erat tertium inter regnum Dei in cœlo ſeu regnum cœlorum & damnationem æternam. Quod Auguſtinus ſignificavit cum dixit [a] *lege nobis ubi præter regnum bonis & ſupplicium malis tertium locum præparaverit, & promiſerit non regeneratis innocentibus tuis.* Et in libris de [b] anima & ejus origine vocat eum *inter damnationem regnumque cœlorum quaſi medium locum* quem parvulis *hæreſis Pelagiana promiſit.* Et alibi, *neſcio quam medietatem.* Eos verò qui locum illum medium occuparent merito innocentiæ ſuæ, vocat *Tertium genus vaſorum quod nec in honorem nec in contumeliam fiat.*

*a Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 52. b Lib. 1. c. 9. vid. & 4. cont. Iul. c. 2. & 4. & lib. 1. operis imperf. fol. 296. Lib. 1. de pec. merit. c. 28. Lib. 2. operis imperf. f. 325. & f. 196.*

Certum denique eſt Pelagianos per iſtam vitam æternam aliquod genus non tantum *vitæ*, & quoquo modo *perpetuæ* ſed ſemper *felicitatis* ac *beatitudinis ſempiternæ* intelligere. Nam & hoc teſtatur Auguſtinus multis in locis, quæ in decurſu hujus citationis citabuntur.

*Lib. 4. cont. Iul. c. 3. lib. 1. de anima c. 9. Lib. 1. operis imperf. cont. Iul. fol. 182. & 319. & alibi.*

D Sed utrum hæc beatitudo ſive felicitas ſit purè naturalis in eorum ſenſu, an verò viſio beatifica ſeu contemplatio clara Dei quæ extra regnum cælorum illis innocentibus detur non ita manifeſtum eſt. Quibuſdam enim viſum eſt, Pelagianos per illam vitam æternam beatitudinem quandam naturalem, extra regnum cælorum parvulis tribuiſſe. Hi moti ſunt hoc argumento, quod Auguſtinus de Pelagianis dicat: *promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Itaque, inquit quidam, Pelagiani non vitam æternam ſimpliciter, quæ ſupernaturalem illam in viſione Dei ſitam indicat, ſed *quandam ſuam vitam æternam* non baptizatis parvulis promittebant. Nam ut idem Auguſtinus dicit, Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos à vita Dei cum alienarent à regno Dei: Quid eſt autem vita Dei niſi viſio Dei? Sed firmioribus argumentis ac teſtimonijs res iſta facilè probari poteſt. Nam imprimis conſtanter Pelagiani docuerunt idcirco parvulos baptizari ut adoptarentur in filios Dei, *Regenerationis lavacro adoptari ex filijs hominum in filios Dei non negatis, imo etiam prædicatis*, inquit Auguſtinus. Quod multis in locis fatetur gloriaturque Iulianus. Item conſequenter idcirco, *ut baptizati ipſius regni cælorum participes fiant, eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Si ergò tantummodo baptiſmo fiant parvuli filij Dei, & hæredes Dei, non baptizati autem hominum filij remanent, quomodo poterunt beatifica viſione in illa vita æterna frui, cum illa viſio intrinſecè perfectam adoptionem & filiationem, & hæredem Dei, eſſe vel implicet vel ſupponat? Quid enim eſt eſſe hæredem Dei, niſi beatiſſima illa viſione Deum ipſum totamque hæreditatem ejus fruendo poſſidere vel ijs poſſidendo frui? Hoc autem eſſe magnæ & excellentis gloriæ, longèque naturæ vires ſuperare, nemo dubitaverit. Et tamen Pelagiani utrumque ab illa ſua vita æterna removent, hoc eſt neque quicquam eam continere ſtatuunt quod naturæ parvulorum gloriam afferat, contenti eos eſſe ab omni damnatione liberos, neque etjam quicquam quod naturæ vires exſuperet. Primum conſtat ex Auguſtino contra Iulianum ubi dicit Pelagianos ſtatuiſſe parvulos *vaſa nec in honorem nec in contumeliam*, idque non ſolum in hac vita ſed etjam in futura. *Ex eadem*, inquit, *maſſa medium locum vaſis, ubi nec in honorem fiant nec in contumeliam quem non dedit Apoſtolus non damus, quod vos faciendo* &c. Et clariſſime ipſe Iulianus diſtinguit ſalutem futuri ſeculi, hoc eſt, vitam æternam, *à ſempiternis gaudijs & gloria*, quæ per reconciliationem, id eſt, baptiſmum mediatoris afferuntur. *Poſt reconciliationem*, ſcilicet baptiſmi, *quam cum Deo habere promeruimus per operam videlicet mediatoris debemus percipere animo ſempiterna gaudia, & non ſolum ſalutem ſperare, ſed etiam gloriam.* Vbi quamvis de adultis loquatur, ſatis tamen ex ejus verbis apparet quomodo in parvulis, ſalutem æternam hoc eſt vitam æternam à gloria & gaudijs æternis, quæ ſcilicet ex Dei percipiantur contemplatione, diſtinguerent. Alterum Celeſtius apertiſſimè profitetur: *Dominus*, inquit *ſtatuit regnum cælorum non niſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferri neceſſe eſt per gratiæ*

*Lib. de hæreſ. Hæreſi 88.*

*Lib. 5. cont. Iul. c. 11.*

*Lib. 2. ad Bonif. c. 6.*

*Lib. 1. de pec. merit. c. 20.*

*Lib. 1. cont. Iul. operis imperf. f. 96. Ibid. f. 269.*

*Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 381.*

largi-

*largitatem.* Quid elariùs dici poteſt? ad regni enim collationem, ideò gratiam baptiſmi putat neceſſariam quia naturæ vires hoc non habent. Et cur non etjam ad vitam æternam, ex Pelagianorum ſententia impertiendam, nempe quia hoc naturæ vires habent. Quod nihil eſt aliud dicere niſi quod vita illa æterna, ſit naturalis. Neque enim putandum eſt naturæ vires regnum cœlorum propter locum ſuperare, vel Chriſti Sanctorumque conſortium. Nam neque illi loco Sanctorum beatitudo aſtricta eſt neque propter materialem locum gratia neceſſaria, neque ita eos credendum eſt deliraſſe, ut naturæ viribus Dei ipſius conſortium, beatiſſimam illam viſionem & faſtigium humanæ felicitatis aſcriberent, conſortium hominum eas contenderent ſuperare. Nam magnifica illa baptiſmi elogia quibus eum, ut infra dicemus, extollere nitebantur, tanquam viam ad aſſequendum regnum cœlorum, non externum locum Sanctorumque conſortium ſed interna baptizatorum dona celebrabant. Vnde Auguſtinus, ut & externi loci & ipſius beatitudinis Pelagianæ internam differentiam à notiſſima illa beatitudine quæ Sanctis in regno cœlorum per claram viſionem Dei conferenda eſt indicaret, libratiſſimis verbis dicit: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuſlibet, atque ubilibet quaſi medium locum, hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit.* Accedit quod regnum cœlorum ſeu *regnum Dei* ut illud Chriſtus de baptiſmo loquens vocat non ſit aliud quam ubi in hominibus regnat Deus. Accipite hac de re diſputantem contra Pelagianos Auguſtinum: *Vos reſpondete qui ſitis, qui tot imagines Dei ſine ullius peccati merito ſeparatis à regno Dei, & facitis duas æternas felicitates, unam quæ ſit in regno Dei, alteram quæ ſit extra regnum Dei. Dicite obſecro, in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit ulluſne regnabit an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio ſine ullo rege illa felicitas. Si verò ullus in ea regnabit quis erit rex in regnum Dei qui non erit Deus?* Vbi nihil aliud ad regnum Dei requirit niſi ut in aliquibus regnet Deus, in quocumque hoc fiat materiali loco. Nam ſtatim adhuc annectit: *quod ſi Deus ipſe ibi regnabit* (ſcilicet in illa vita æterna parvulorum) *cujus illæ imagines ſunt, etiam ipſæ imagines ejus in Dei ſui regno felices erunt* (ſic enim non non ſine legendum, ut ex Scriptura ſubjecta patet) *Et ubi erit Evangelica vox: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei? Ac tandem aliquando,* ſcilicet compulſi abſurditate, *extra regnum Dei infelices futuros fatemini* (id eſt fateamini) *parvulos non renatos.* Nonne apertiſſimè concludit Auguſtinus Si Deus in illa parvulorum felicitate regnet etjam ibi futurum regnum Dei? Deus autem tunc obtinet in Sanctis regnum ſuum, quando æternæ ſuæ veritatis & ſapientiæ contemplatione animo ſibi ſubjecto ubicumque locorum conſtitutus fuerit perfectè ſine rebellione dominatur. Docet hoc idem alibi: *Pacifici in ſemetipſis ſunt qui*

Lib. 1. de anima & de ejus orig. c. 9.

Ioan. 3.

Lib. 2. cont. Iul. operu imperf. ſ. 3. 9.

Serm. Domini in monte.

Lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 2.

A *omnes animi ſui motus componentes & ſubjicientes rationi, id eſt, menti & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas fiunt regnum Dei.* Quod regnum quomodo fiat exponens *in quo,* inquit, *ita ſunt ordinata omnia ut mens & ratio* (cui cætera ſubjecta dixerat) *ſubjiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas, unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſe ipſe ſubjiciat.* Et paulò poſt: *in primo ſicut oportebat poſitum eſt regnum cœlorum, quod eſt perfecta ſummæque ſapientia animæ rationalis.* Et ſine ullo ambiguitatis obſcuro: *Regnum tradet Patri cum per id regnabit in contemplantibus veritatem quo æqualis eſt Patri, & per ſe unigenitum per ſpeciem faciet videri Patrem.* Et mox: *Per ſpeciem qua æqualis eſt Patri cum Patre regnat in contemplantibus veritatem.* Si ergò per claram ſui contemplationem Deus in æterna vita in hominibus obtinet regnum ſuum, qui fieri poteſt ut Pelagiani B vitam illam æternam divinæ viſionis parvulis dederint, & eos Dei regno, hoc eſt, à Deo illis regnante ſeparaverint? Quæ ſanè abſurditas eo elucet manifeſtior, quod dilucidis ſæpiuſque repetitis verbis Auguſtinus doceat, non aliud eſſe regnum Dei regnumque cœlorum quam ipſos homines in quorum ſcilicet animo Deus hic ut creditus, ibi clara veritas regnat. Quid enim ſibi vult aliud quod dicit: *Regnum ſuum dicit quod multis locis appellat regnum cœlorum, regnum autem cœlorum eſt regnum Sanctorum. Cœli enim* (hoc eſt ut explicat, Apoſtoli alijque Sancti prædicatores) *enarrant gloriam Dei.* Quid ſibi vult aliud quod dicit: *Quod eſt enim ejus regnum niſi credentes eum?* Nec mirum ſanè cum regnum Dei non ſit aliud eodem Auguſtino doctore niſi domus Dei, templum Dei, civitas Dei. Audi eundem: *Cum dixerit in domo Patris mei manſiones multæ ſunt quid putabamus eſſe domum Dei niſi templum Dei. Tem-* C *plum enim Dei Sanctum eſt quod eſtis vos. Hoc eſt etiam regnum Dei quod Filius traditurus eſt Patri &c. Hoc eſt regnum cœlorum.* Totamque doctrinam ſuam in ſummam colligens. *Hæc ergò domus Dei, hoc templum Dei, hoc regnum Dei, regnumque cœlorum adhuc ædificatur.* Et in Enchiridio: *Ordo poſcebat* (inquit Auguſtinus) *ut Trinitati in Symbolo ſubjungeretur Eccleſia, tanquam habitatori domus ſua & ideo templum ſuum, & conditori civitas ſua.* Et ſermone quadrageſimo nono de tempore: *Domus dicitur habitatoris domus.* Et libro ſecundo de Symbolo: *poſſumus explicare quomodo ipſe Filius cum tradiderit regnum Deo & Patri, id eſt Sanctam congregationem fidelium, claritatem quam habet ipſis fidelibus demonſtrare non differat.* Sicut ergò ut idem loquitur, *civitas in civibus eſt non in parietibus: Et Roma non perit, ſi Romani non pereant; Roma enim quid eſt niſi Romani?* Ita regnum cælorum non in expanſis illorum voluminibus deputandum eſt ſed in D ipſis hominibus ſub Deo regnantibus, & in quibus regnat Deus. Vt verò etjam ipſam rationem formalem regni cœlorum non eſſe aliud quam contéplationem illam æternę veritatis, ſeu viſionem claram Dei intelligeremus, *nondum,* inquit, *regnat hoc regnum. Proinde ſic*

Ibid. c. 4.

Lib. 83. qq. q. 69.

Serm. 69. de diverſ. initio

Tract. 115. in Ioan.

Tract. 69. in Ioan.

Enchirid. c. 56.

Cap. 4.

Cap. 2.

Tract. de urb. excidio c. 6.

Serm. de ſcand. apud Auguſt.

*iam*

*iam eſt regnum, ut cum de illo collecta fuerint omnia ſcandala tunc perveniat ad regnum ut non ſolùm regni nomen ſed etiam regnandi habeat poteſtatem. Huic quippe regno ad dexteram ſtanti in fine dicetur: venite benedicti Patris mei percipite regnum.* Quibus verbis nihil aliud niſi ipſa æterna beatitudo traditur, hoc eſt clara divinitatis contemplatio. Nam clarius hoc in Pſalmis explicans; *quid ſequitur*, inquit, *quod dixerat, percipite regnum? Tunc ibunt impij in ambuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. Quod dixerat, regnum, hoc dixit, vitam æternam, quo non ibunt impij. Videte ſi quædam viſio eſt vita æterna. Hæc eſt autem vita æterna ut cognoſcant te* &c. Vide quam apertè viſionem ipſam vocat vitam æternam, vocat ipſum regnum, regnum inquam quia viſio æternæ veritatis eſt ratio qua Sanctorum animis & ſibi & corpori ſuo univerſæque creaturæ in æternum imperturbabili imperio & poteſtate regnabit. Cùm ergò regnandi ratio ſit ipſa Dei clara contemplatio, & vita æterna, regnum verò non ſit aliud quàm ipſe Sanctorum per eam regnantium cœtus, fieri nulla ratione poteſt ut Pelagiani regnum cœlorum regnumque Dei parvulis ſine baptiſmo decedentibus denegaverint, & tamen beatitudinem illam ſupernaturalem dederint, quæ in eadem clara Dei contemplatione conſiſtit. Naturalis eſt ergò illa beatitudo longeque inferior clara viſione Dei, quam parvulis ſine baptiſmo abreptis pollicentur. Quod alio clariſſimo teſtimonio videtur Divus Auguſtinus aſtruxiſſe cum dixit: *Hoc ſi auderent Pelagiani, non tam laborarent: ne quando originale peccatum, quærere parvulis extra regnum Dei neſcio cuius ſuæ felicitatis locum, maximè quando convincuntur non eos habere poſſe vitam æternam, quia non manducaverunt carnem nec biberunt ſanguinem Chriſti*: ubi per *ſuam*, id eſt, Pelagianorum propriam *felicitatem* indicat eam planè diſtinctam fuiſſe ab ea quam Catholici credunt & per vitam æternam in Scripturis ſignificatam volunt. Hoc autem diſcrimen in eo ſitum fuiſſe quod eſſet clara Dei contemplatione vilior atque dilutior, contra Iulianum ſatis luculentè his verbis profitetur: *Aut & ſuggere ſi videtur, ut tot millia parvulorum* &c. *rapiat ex hac vita dum ſunt innocentes & boni, ut ſi non in regno eius certe in loco aliquo ſecundæ felicitatis, quem talibus ædificavit hæreſis veſtra teneat ſempiternum.* Hoc eſt in ſempiternum vel potius teneant ſempiternam, ut ſit ſenſus, ut ex hac vita rapti teneant alibi vitam ſempiternam. Quid eſt ſecunda felicitas niſi inferioris notæ ac naturalis? Quæ quidem aptiſſime parvulorum ſtatui reſpondet in quo Pelagiani eos in hanc vitam prodire confingunt. Ille enim ut ſupra vidimus, ita eſt naturalis ut ei nihil gratiæ vel ſupernaturalis muneris adjungatur, nec ulla in eis ratio vel operis vel naturæ ſuppetat, cur ſublimia illa dona, *adoptio filiorum Dei, illuminatio ſpiritalis, municipatus Ieruſalem, poſſeſſio denique regni Dei*, quæ non niſi baptiſmo tribuunt, poſt hanc vitam non baptizatis parvulis conferrentur. Vt merito contra omnia Pelagianorum principia videri debeat, aliam quam naturalem eis beatitudinem polliceri.

*Lib. de præ-deſt. SS. c. 13*

*Lib. 1. operis imperf. c. Iul. f. 58. & 59.*

## Argumenta, quod per vitam æternam Pelagiani intelligant beatitudinem claræ viſionis Dei.

## CAPVT XX.

QVOD quamquam allegatis rationibus clarè confici videatur, non deſunt tamen argumenta non levia, quibus alicui perſuaderi poſſet beatitudinem illam claræ viſionis Dei Pelagianos parvulis non baptizatis vitam æternam tribuendo poſt hanc vitam aſcribere. Nam Divus Auguſtinus ubicumque totis ingenij ſui nervis nititur ex Scripturis Sacris Pelagianorum ſenſum evertere, Scripturas illas & ratiocinationes adhibet, quas certò conſtat nil niſi de ſupernaturali vita ęterna Catholicę Eccleſiæ nota concludere. Nam in primis illa ex Ioanne Euangeliſta ratio: *Qui de ovibus meis ſunt, vocem meam audiunt, & ego novi illos, & ego vitam æternan do eis, & non peribunt in æternum. Quoniam ergò de ovibus eius eſſe non incipiunt parvuli niſi per baptiſmum, profectò ſi hoc non accipiunt peribunt. Vitam enim æternam quam ſuis dat ovibus non habebunt.* Quid probat aliud niſi parvulos illa æterna vita ſupernaturali quam Chriſtianis velut ovibus ſuis Chriſtus impertit carituros? Et illa ex Apoſtolo Petro: *qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen* &c. *Et ſic & vos ſimili forma baptiſma ſalvos facit. Ab hac ergò ſalute & lumine alieni ſunt parvuli, niſi per adoptionem populo Dei fuerint ſociati.* Quid aliud probat niſi parvulos illa ſalute & lumine ſupernaturali, quæ per adoptionem datur eſſe carituros. Et illa ex Apoſtolo Ioanne, *& hoc eſt teſtimonium quia vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius eſt, qui habet Filium habet vitam qui non habet Filium non habet vitam. Non ſolùm igitur regnum cœlorum ſed nec vitam parvuli habebunt, ſi Filium non habent quem niſi per per baptiſmum eius habere non poſſunt*: Quid probat aliud niſi vita æterna ſupernaturali ad quam obtinendam baptiſmus neceſſarius eſt, eſſe carituros? Et illa ex ejuſdem Euangelio qua & Pontifex Innocentius utitur; *nemo præter regnum Dei ſalutem ac vitam poſſidebit æternam, quoniam qui non manducaverit carnem eius & qui incredulus fuerit Filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Quid probat aliud niſi parvulos

*Lib. 1. de pec. merit. c. 27.*

*Ibid.*

*Ibid.*

*Lib. 1. de pec. merit. c. 23. & Innocent. Papa apud Aug. Ep. 93.*

vulos illa ſalute & æterna vita ſupernaturali propter quam myſterium corporis & ſanguinis Domini inſtitutum eſt, eſſe carituros? Cui ſimilis eſt & illa ex eodem argumentatio; *Ibid. c. 20.* *Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data eſt.* Et ſanè pleræque Scripturæ quibus in eodem libro & alijs paſſim, hæreſim illam Auguſtinus oppugnat, nihil aliud probant, quam illam æternam vitam quam Catholica fides in clara Dei viſione conſtituit parvulis eſſe denegandam. Vnde de hujuſmodi Scripturis generaliter ipſe Auguſtinus concludens: *Si ergò,* inquit, *Lib. 1. de pec merit. c. 24.* *ut tot & tanta divina teſtimonia concinunt, nec ſalus nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore & ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur parvulis.* Illa ergò promittebatur à Pelagianis parvulis quæ per baptiſmum, corpus & ſanguinem Domini ex Catholicæ fidei inſtitutione ſperatur. Et quæ illa niſi vita æterna claræ viſionis Dei? Nec verò amplius etjam cæteræ Divi Auguſtini rationes efficiunt. Nam quod tantis viribus ſermone decimo quarto de verbis Apoſtoli premit, vitam æternam nemini eſſe tribuendam niſi qui intraverit in regnum cœlorum, imò regnum cælorum eſſe ipſam vitam æternam, ac proinde ſi parvuli ſine baptiſmo regnum cœlorum intrare non poſſint, ut fatentur Pelagiani, etjam vitam æternam eos ſine baptiſmo habere non poſſe; nihil aliud conficit niſi vitam claræ viſionis Dei non eſſe parvulis tribuendam. *Lib. 1. c. 24.* Quid item illud quod in libris de peccatorum meritis profert? *Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum, nihil aliud quam ſalutem & Sacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quam vitam vocant.* Vndè niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent præter baptiſmum & participationem menſę dominicę non ſolum ad regnum Dei ſed nec ad ſalutem & vitam æternam quemquam hominem pervenire? Nonne clariſſime hoc tantùm efficiunt, quod & Scripturæ ſuperius allegatæ probant, ad vitam illam & ſalutem ſupernaturalis viſionis Dei neminem ſine illis myſterijs pervenire. Quid item illud quod multis in locis contra Pelagianos objicit, ad vitam illam æternam quã parvulis promittebant ſine fide Chriſti non poſſe pertingi, per illam poſſe: atque ideò niſi parvuli in Chriſtum quoquo modo credant, nullam ſpem eis aſſequendæ vitæ æternæ ſupereſſe? *Lib. 1. de pec. merit. c. 20* Hinc enim illud: *qui credit,* inquit, *in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio non habebit vitam. In quo igitur horum genere ponemus infantes?* &c. *Profectò illi quibus Sacramentum defuerit* (quo credentes fiunt) *in eis habendi ſunt qui non credunt Filio: atque ideò ſi hujus inanes gratiæ de corpore exierint, ſequetur eos quod dictum eſt, non habebunt vitam.* Quid, inquam, illud argumentum cæteraque jam dicta omnia ad rem faciunt, ſi noverat Auguſtinus nil niſi felicitatem quandam naturalem Pelagianos parvulis polliceri? Neque enim Chriſtus in hunc mundum venit, vel nos credimus

A Chriſtiana fide, baptizamur, & Chriſtiani efficimur, ut naturali aliqua felicitate ſine dolore ſine moleſtia, in loco aliquo corporei paradiſi cauſas rerum naturalium contemplandi perfruamur. Denique quid illud efficit quod Innocentius Papa contra Pelagianos invictum putat, baptiſmum ſcilicet caſſari atque eſſe ſuperfluum, ſiqua præter illum vita æterna poſſit obtineri. Nonne hoc tantummodo illam vitam æternam non poſſe à parvulis ſine baptiſmo obtineri quam hominibus per baptiſmum tribui Catholica Eccleſia profitetur? Nam ſi eis naturalis dumtaxat ſine baptiſmo juxta Pelagianos competat, ſupernaturalis vero juxta Catholicos per baptiſma tribuatur, nullo pacto eſſe poterit etjam in Pelagianorum opinione ſuperfluum cujus ope tam ſingulare beneficium conferetur. Sed accipe ipſum Innocentij Pontificis teſtimonium: *Illud vero quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare* *Innocent. Papa ad Concil. Milevit. Epiſt. 93. apud Aug.* B *parvulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuũ eſt, niſi enim manducaverint carnem filij hominis & biberint ſanguinem eius, non habebunt vitam in ſemetipſis, qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renaſci, fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe.* Quomodo *Baptiſmum videntur velle caſſari* ſi parvulis naturalem dumtaxat beatitudinem ſine baptiſmo tribuunt? Quomodo *prædicant eos habere quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum,* ſi nihil eos habere niſi naturalem beatitudinem ſine baptiſmo prædicant? Quomodo *nihil volunt officere non renaſci,* ſi non renaſcendo parvulos ſupernaturali illa beatitudine carituros dicunt? Quomodo *neceſſe eſt fateantur; nihil regenerationis ſacra fluenta prodeſſe,* C ſi per claram illam viſionem Dei tribui, ſine ijs non niſi naturalem beatitudinem volunt. Illud ipſum vero, quod baptiſmi neceſſitatem tollerent, Pelagianis Auguſtinus ſæpius exprobrat: *Vbi eſt libertas & fortitudo animi veſtri?* *Lib. 2. oper. imperf. cont. Iul. f. 383. & 384. & alibi.* *quare timetis dicere quod credere non timetis, parvulos in Chriſto baptizari non oportere, quos peccatum, cui moriantur dicitis non habere?* Et rurſum: *Cur non aperte dicitis baptizari in Chriſto parvulos non debere?* Cur enim propterea parvulos baptiſari non oportere ſentirent quod eos peccato carere dicerent, ſi per baptiſmum vitam æternam claræ viſionis Dei eis conferendam eſſe decernerent, alioqui nil niſi naturali quadam felicitate fruituri?

Ex quibus omnibus alijſque pluribus, quæ proferri poterant, neceſſario alterutrum videtur confici vel Pelagianos parvulis non baptiſatis, vitam ſalutemque æternam tribuendo, vitam illam æternam ſupernaturalem quæ in D clara Dei contemplatione ſita eſt intellexiſſe ac tribuiſſe, propter quam ſolam fides Chriſti, baptiſmus, Euchariſtia, ipſaque per illa myſteria in Chriſtum incorporatio non propter naturalem alicujus corporei paradiſi felicitatem neceſſaria ſunt; vel certe ſi non niſi

naturalem

naturalem intellexerint, Innocentium Papam maximeque Auguſtinum tot laborioſas diſputationes in arena fundaſſe, atque adeo in re tam ſeria eſſe nugatum, ut qui de bobus interrogatus, de aſinis reſponderit, & per viginti circiter annos quibus cum iſto Pelagiano errore luctatus eſt, in manifeſta æquivocatione perſiſtendo aërem verberaſſe, quod aſſerere A quia abſurdum, & ſanctiſſimo doctiſſimoque viro ipſique Sedi Apoſtolicæ injurioſum eſt, reſtat ut Pelagiani per vitam æternam quam parvulis ſine baptiſmo morientibus tribuunt, nihil aliud intellexerint quam vitam illam æternam quam ſupra omnes naturæ vires Deus electis ſuis in mortuorum reſurrectione largietur.

## Vtrum Pelagiani ſententiam ſuam de vita æterna parvulis non baptizatis danda tandem mutaverint?

## CAPVT XXI.

VIR quidam illuſtris & magnopere in Auguſtini lectione verſatus nonnulla ex iſtis argumentis vidit: quibus fractus exiſtimavit ſine S. Auguſtini injuria negari nullo modo poſſe quin id quod conficere videntur prorſus verũ ſit, nempe Pelagianos vitam illam æternam ſupernaturalem ſeu claram viſionem Dei parvulis ſine baptiſmo ex hac vita raptis promiſiſſe. At verò cum non minus manifeſtum eſſe videatur, eos per vitam illam æternam non niſi quandam felicitaté ordinis naturalis intellexiſſe, utramque ſententiam eos diverſis temporibus tenuiſſe arbitratur. Nunquam enim Auguſtinus, ait ille, ad convincendos Pelagianos eis objiceret ex Scripturis vitam æternam quam parvulis promittebant, non dari neque à Deo promitti in prædictis Scripturis, niſi baptizatis & Chriſti membris, ſi Pelagiani de beatitudine tantum naturali loquerentur aut per vitam B æternam, illam ſolam naturalem felicitatem intelligerent. Vult itaque Pelagium ejuſque diſcipulos initio ſuæ hæreſis docuiſſe, parvulis ſine baptiſmo decedentibus, quia ſine peccato naſcerentur dari extra regnum cœlorum gaudia vitæ æternæ, qua in ſocietate Chriſti ac Sanctorum beati perfruuntur. *ut conſtat*, inquit, *ex Innocentio Pontifice in Epiſtola ad Patres Concilij Milevitani*, quam ſupra de manducatione corporis & ſanguinis Domini ad vitam æternam neceſſaria allegavimus & Auguſtino etjam viſum paulò ante oſtendimus. Contra hunc igitur Pelagianorum errorem vult omnia Auguſtini argumenta quæ proximè recenſuimus militare: quibus convictos & à primo illo ſenſu depulſos, aliam beatitudinem naturalem dari parvulis prædicare cœpiſſe. Probat hanc eorum mutationem ex illo de prędeſtinatione Sanctorum loco quem ſupra vidimus: Cap. 13 *Hoc ſi audirent Pelagiani non tam laborarent, quærere parvulis extra* C *regnum Dei, neſcio cuius ſuæ felicitatis locum. maximè quando convincuntur non eos habere poſſe vitam æternam qui non mãducaverunt carnem nec biberunt ſanguinem Chriſti.* Vbi apertè jam convicti de falſitate dogmatis, quo beatitudinem ſupernaturalem quæ per manducationem illam obtinetur, parvulis promittebant; recurrere Pelagianos putat ad aliam naturalem, quę per illud, *neſcio cuius felicitatis locum*, ſignificetur. Si autem

A ab illo doctiſſimo viro quæreremus quo tempore inducta fuerit illa mutatio, reſponderet, arbitror, vel ſtatim atque hæreſis Pelagiana damnata eſt, vel certè paulò ante, cùm Pelagius in Concilio Paleſtino retractavit hanc propoſitionem, *Infantes etſi non baptizentur habent vitam æternam.* Dilucidis enim verbis dicit jam eo tempore quo Auguſtinus contra Iulianum ſcriberet, quod contigit paulò poſt, Pelagianos illam ſententiam de ſupernaturali quę parvulis extra regnum cœlorum daretur felicitate mutaſſe. Cap. 23. ſui lib. Sed pace illius dixerim non rectè mutationem illam ex Auguſtino colligit imò ſine dubio in illa aſſerenda hallucinatur. Eandem enim vitam æternam eandemq; felicitatem ſive naturalis ea fuerit ſive ſupernaturalis, ab initio uſque in finem Pelagiani parvulis tribuerunt.

Nam ſi authores illius mutationis inveſti- B gemus qui convicti argumentis Auguſtini naturalem illam felicitatem induxerint, illi fuerint neceſſe eſt qui cum Sancto illo Doctore de iſta difficultate congreſſi ſunt: quos alios nullos inveniemus niſi Pelagium aut Iulianum: ſive mutationem illam propria ingenij dexteritate commenti ſint, ſive Celeſtium aliumve comminiſcendi artificem ſubſecuti. At verò Pelagius itemque Iulianus, in eadem prorſus ſententia quam ante Concilium etjam Paleſtinum, hoc eſt hæreſi emergente, tenuerant, ſine mutatione perſtiterunt etiam tum, cùm illam jam invectam fuiſſe contendunt, hoc eſt, luctante cum Auguſtino Iuliano. Teſtatur hoc expreſſis verbis Auguſtinus in illis ipſis contra Iulianum libris, qui hæreſi jam proſcripta damnataq; conſcripti ſunt. *Sed nunquid infantes etiamſi non baptizentur, habere vitam æternam, ulla* Lib. 2. cont. Iul. c. 5. *calliditate in aliud detorquere vel ullis folijs ficulneis operire potuiſtis?* Exponendo ſcilicet aliter quam C à judicibus capiebatur. Nonne apertè indicat, eos ne quidem diſtinctionis illius calliditatem de duplici vita æterna ſeu felicitate extra regnum cœlorum reperire potuiſſe, per quã ſententiam ſuam in aliud detorquendo palliarent? Nam ſubdit: *Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud Catholicos iudices niſi dãnare Pelagius, & quod ſentiebat damnavit coram hominibus, damnari metuens ab hominibus.* Ecce habes apertiſſime, non ſolum id quod dicebat *infantes etiamſi non baptizentur*

*zentur habere vitam æternam*, ſed etiam quod ſub illis verbis ſentiebat, coram judicibus Palæſtinis damnaſſe Pelagium, ubi mutatio illa emerſiſſe exiſtimari poſſet. Sed jam audi reliqua: *Nam ſi hoc non ſentitis, nobis utiq; conſentitis, Sed quia nobis non conſentitis, illud ſine dubitatione ſentitis.* Et quomodo iſtud quæſo ſequitur cum detur medium beatitudo ſcilicet illa recenter excogitata naturalis, quam parvulis nunc mutata priore ſententia tribuendo, neque cum Catholica fide conſentient quæ damnandos aſſerit, neque cum eo quod ante ſenſerant, & in Synodo Palæſtina damnarunt? ſed pergit Auguſtinus, *Ac per hoc orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timens, eos qui ſentiunt iſta damnavit, cum eis quos damnavit profecto damnandus, quia id quod negavit ore, corde ſervavit.* Viden illud ipſum quod ante ſentiebat & ore negatum fuerat, corde eſſe ſervatum, ac propterea etjam ſecundo ab ijſdem judicibus poſſe damnari? quod non ex conjecturis incertis Auguſtinus ſuſpicatur. *Nam*, addit, *quod verbis eius anathematizatur, in litteris eius invenitur.* Et ſtatim etjam ipſum Iulianum ſtrinxit dilemmate, quo conficiat, quod ſi poſt Pelagij damnationem adhuc dicat, *infantes non baptizatos habere vitam æternam*, à Palæſtinis judicibus etjam ipſe damnatus ſit; ſin autem neget; pœnam ſine culpa parvulis infligere convincatur. Nonne futilis eſt iſta Auguſtini ratio & ſtramineum in Iulianum vinculum, ſi aliam jam vitã æternam quam tempore Palæſtinę Synodi parvulis fabricaverint? Nonne una diſtinctiuncula, qua ſe non niſi vitam felicitatis cujuſdam naturalis nunc parvulis polliceri diceret ex judicum illorum ſententia & manibus laberetur?

Sed jam fundamentum illud inſpiciamus, quo nunquam Auguſtinus putatur uſurus fuiſſe illis rationibus ac ſcripturis, quibus fides, baptiſmus, manducatio corporis ac ſanguinis Domini ad vitam æternam obtinendam neceſſaria eſſe dicuntur, ſi Pelagiani parvulis naturalem tantum felicitatem aſſcriberent. Vt plane neceſſe ſit eos aliquando ſaltem initio ſui erroris, ſupernaturalem illam claræ viſionis Dei beatitudinem parvulis promiſiſſe. At ego viciſſim refero; ſi recta illa firmaque conſequentia, neceſſe eſt igitur, ut etjam in medio & in fine ſui erroris, hoc eſt ab initio uſque ad finem, eandem illis ſupernaturalem felicitatem attribuerint. Nam Auguſtinus ijſdem ſemper armis in illud monſtrum uſus eſt, ijſdem ſcripturis ijſdemque rationibus errorem illum à primo ejus ortu in Pelagio uſque ad ejus occaſum in Iuliano oppugnavit, ſtravit, & intermit. (*Epiſt. 106. ad Paulin.*) Nam in Epiſtola ad Paulinum quæ ſtatim à Pelagij damnatione conſcripta eſt, ſic eodem argumento utitur: *Cogitur itaque reſpondere quod Pelagius in Eccleſiaſtico iudicio ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur, anathematizare compulſus eſt, infantes, etiamſi non baptizentur, habere vitam eternam &c. Ac per hoc contra ſententiam Domini diſputabit dicentis: Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; illam utique quæ poſt hanc*

A *vitam futura eſt, & contra Apoſtolicæ Sedis authoritatem*, ſcilicet Innocentij qui illa ſcriptura uſus eſt. *Et contra ipſius Pelagij verba apud Epiſcopos, à quibus audiebatur expreſſa ubi anathematizavit eos qui dicerent infantes, &c.* Et in libris ad Bonifacium (*Lib. 1. c. 11.*) quæ poſt Epiſtolam illam paulo ante libros contra Iulianum exarati ſunt, ſic eodem argumento utitur: *Datis eis extra regnum Dei locum ſalutis & vitæ æternæ etiamſi non fuerint baptizati. Nec attenditis quod ſcriptum eſt: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit qui vero non crediderit condemnabitur &c. Nec illud cognatis eos vitam habere non poſſe qui fuerint expertes corporis & ſanguinis Christi, dicente ipſo, niſi manducaveritis &c.* Aut. *Si Evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam ſalutemque poſſe habere parvulos de corpore exeuntes niſi fuerint baptizati &c.* Quod idem argumentum contra Celeſtium reperit libro ſecundo ad eundem Bonifacium capite quarto,
B etjam Innocentij Pontificis nomine interpoſito, qui eodem telo Pelagium jugulaverit. Et in ipſis libris adverſus Iulianum (*Lib. 1 cont. Iul. c. 4.*), ubi jam convictos Pelagianos ad aliam beatitudinem naturalem confugiſſe dicitur, ſic eodem argumento utitur (*Ioan. 6.*): *Sancto Innocentio vide quid reſpondeas qui nihil aliud de hac re ſapit, quam &c. Qui denique parvulos definiunt, niſi manducaverint carnem filij hominis vitam prorſus habere non poſſe. Huic reſponde, imo ipſi Domino, cuius ille Antiſtes uſus eſt teſtimonio, & dic unde imago Dei tam capitali ſupplicio puniatur, ſi peccatum a naſcentibus originale non trahitur?* Denique in ultimis & imperfectis adverſus eundem Iulianum libris (*Lib. 5. cont. Iul. oper. imperf. f. 237.*) quos viciniſſimus morti ſcripſit, ſic eodem uſus eſt argumento: *Cur miniſtratur Sanguis qui de ſimilitudine carnis peccati in remiſſionem fuſus eſt peccatorum quem bibat parvulus ut habere poſſit vitam, ſi de nulla peccati origine venit in mortem?* &c. *Iam dic evidenter quod latenter ſentis, quoniam ſatis prodis tua diſputatione*
C *quid ſentis, dic, inquam, parvulos fruſtra fieri Chriſtianos* (per baptiſmum) *ſed vide utrum te ipſum debeas dicere Chriſtianum.* Nec vero, ſi omnia Divi Auguſtini ſcripta revolverimus, quibus errorem illum etjam in fine vitæ proſtravit, nullum facile inveniemus argumentum quo non ante ſæpius uſus fuerit, quando adhuc ſupernaturalem illam putantur felicitatem parvulis promiſiſſe, neque ullum antea, quod non poſtmodum etjam adhibuerit, ut merito dici debeat, ſi in initio Pelagiani non mendaciter Auguſtino opponere potuiſſent, ut ille author putat, eum in ſua diſputatione nugari, niſi beatitudinem illam claræ viſionis Dei quam baptiſmus & ſcripturæ illæ reſpiciunt, parvulis tribuiſſent; etjam in fine nugationem illam & exprobrare potuiſſe ut qui contra homines jam naturalem duntaxat felicitatem parvulis pollicentes, tanquam quid ulterius diceret non inveniens, ijſdẽ adhuc ſcripturis & argumentis
D nihil ad Rhombum concludentibus uteretur.

Quid igitur, inquies, his anguſtijs undique coarctantibus pro diſſolvendo hoc nodo dici debet. Antequam eum tentem ſolvere, adhuc paulo arctius interpoſita aliquanto latiori de parvulorum ſtatu diſputatione ſtringendus eſt.

Ijſdem

## Iiſdem argumentis probari poteſt, Pelagianos parvulis naſcentibus ſupernaturalem innocentiam dare, quibus aliqui probari putanteos morientibus ſine baptiſmo vitam æternam ſupernaturalem promiſiſſe.

## CAPVT XXII.

NAM quod de vita æterna futuri ſeculi, quam parvulis promittunt Pelagiani diſquiſivimus, eodem pænè modo, de vita & ſtatu quem eis in præſenti ſeculo tribuunt, diſputari poteſt, utrum eos in naturali dumtaxat integritate, ſanctitate, & ſtatu naſci velint an in ſupernaturali quæ per ſolam divinam gratiam conferatur.

Et quidem ſi illa reſpiciamus, quæ hactenus de parvulorum conditione in hac præſenti vita diſputata & ſtabilita ſunt, non videtur eſſe poſſe dubium, quin ſecundùm Pelagianos in quodam puro putoque naturali ſtatu & integritate ſine omni vitio, omnique ſupernaturali gratia naſcerentur. Quod uſq; adeò verum eſt ut ipſimet ſępius expreſſis verbis vocēt parvulorum [a] *Innocentiam naturalem*, quam dicunt [b] *creari bonam ſimplicitatem* item prædicent [c] *naturalem*, parvulos [d] *naturaliter* ſtatuant eſſe *bonos*, B bona eorum [e] *naturalia* ita diſtinguant à *ſpiritualibus*, ut [f] *bono naturali* cum quo naſcuntur *bonum ſanctificationis* per baptiſmum velint accedere: denique ſine ullis ambagibus clarè definiant, [g] *ante actionem propriæ voluntatis, id ſolum in homine eſſe quod Deus condidit*. De quibus latius paulò ante diſſeruimus.

a Iul. lib. 1. oper. imperf. apud Aug. cont. Iul. f. 254. & alibi ſæpius.
b Ibid. f. 166
c Aut. qq. vet. & novi Teſt. p. 1. q. 8. & Iul. lib. 1. operis imperf. f. 33.
d Lib. 2. de nupt. c. 19.
e Iul. lib. 1. oper. imperf. f. 70.
f Lib. 6. cont Iul. c. 17.
g Lib. de pec. orig. c. 13.

E contrario verò ſi S. Auguſtini rationes trutinemus, quibus eorum ſententiam impugnat atque ſuffocat, nihil profectò minus judicabimus, quam eos naſcentibus parvulis ſupernaturalem quandam vitam, innocentiam, ſanitatem, bonitatemq; tribuiſſe, quæ non niſi per divinam ac gratuitam gratiam dari poteſt. Nam imprimis ex hoc ſolo quod parvuli naſcuntur cum iſta innocentia naturali, ſicut hoc ſentit Pelagius, hoc eſt ut Auguſtinus exponit, cum *immunitate ab omni delicto* tam proprio quā originali ſępiſſimè concludit Auguſtinus, prorſus injuſtum eſſe non tantùm ut parvulus vita C æterna privetur ſive æterna morte mulctetur, quod ſine damnatione quæ ſoli peccato debita eſt, fieri nullo modo poſſe manifeſtum eſt, ſed etjam, ut ei regnum cœlorum auferatur eo quod illud naturali ejuſmodi innocentię parvulorum per juſtitam Dei omninò debeatur. Per iſtud autem regnum cœlorum ſeu regnum Dei ſupernaturalem Chriſtianorum beatitudinem in ſcripturis intelligi nullus ne quidem Pelagianus, nedum Catholicus negat. Accipe pauca, ex ſexcentis quæ paſſim occurrunt, loca: *Nunquam dicturus es unde ſit iuſtum ut parvuli nulla ſua, nulla plerumque etiam ſuorum culpa ſine baptiſmate mortui à parentibus & propinquis fidelibus ſeparentur & ad Dei regnum non admittantur.* Et ex profeſſo expanſis velis hoc agit Sermone de-

Serm. 14. de de verb. Apoſt c. 5.

Lib. 2. operis imperf. adverſ. Iul. f. 325.

A cimo quarto de verbis Apoſtoli: *Quoniam vos aliquando contra evidentiſſimam autoritatem ratiocinatio humana delectat, proferte ipſam regulam rationis veſtræ, & aſſerite quantis viribus valueritis, unde devincatur iſte qui parvulis propter merita innocentiæ, propter nullam ſicut dicitis culpam, hoc eſt originale peccatum dare volueris etiam non baptizatis non ſolum vitam æternam verum etiam regnū cœlorū.* Et infra: *Quare enim patrimoniū regni cœlorū alicui innocenti &c. quæ eſt iſta injuſtitia, hic defende iuſtitiam Dei. Reſponde ſi potes. Sed rationem affer, hac enim te gloriari delectat.* Vide quam hoc invictum argumentum putet, ut nec ex ratione quicquam ei reſponderi poſſe arbitretur. Et paulò inferius: *Huic reſponde qui tibi dicit, prorſus innocens parvulus & immunis ab omni peccato & proprio & originali, non ſolum vitam æternā habebit ſed etiam regnum cœlorum. Hoc eſt iuſtum qui nihil mali habet quare aliquid boni non habet?* Quæ argumentandi ratio B quomodo non trivola & abſurda eſt, ſi Pelagiani illam à peccatis immunitatem non per gratiam veramq; juſtitiam ſed per ſolam naturalē innocentiam afferri putant? Nam ipſemet Auguſtinus idem iſtud de parvulis argumentum verſando ſententiam definitivam tulit, non poſſe de parvulis niſi juſti fuerint, dici: *Talium eſt enim regnum cœlorum, cum eſſe non poſſit niſi iuſtorum.* Et in libris contra Iulianum provocans eum ut vel uni reſpondeat indocto ex vulgi fęce dicenti: *Iuſtus eſt Deus, quid mali eſt, quod innocentem hanc eius imaginem prohibet intrare in regnū eius, ſi non eſt peccatum quod per unum hominem intravit in mundum? Puto,* inquit Auguſtinus, *quod nulla tibi adeſt ſapientia, qua tibi videaris illo indocto homine doctior, ſed ſi a te receſſerit impudentia illo infante remanebis infantior.* An ita ſubitò oblitus erat Auguſtinus Pelagianos non niſi naturalem quandam innocentiam, non illam quæ per iuſtitiam caritatemque infuſam datur, parvulis C polliceri? Quo ſanè poſito cur Iulianus infante remaneret infantior in tuenda juſtitia Dei, cum conſequenter veraciterq; reſpondere poſſe videatur, regnum illud cœlorum hoc eſt felicitatem claræ viſionis Dei, non naturæ ſed infuſæ cœlitus gratiæ ideoq; baptiſmo eſſe repoſitum, quibus cùm parvuli prorſus careant ſine ullo divinæ juſtitiæ præjudicio poſſe denegari. Nonne hanc reſpōſionem pęnè conceptis verbis à Celeſtio magno Pelagianorum Doctore præformatam acceperat: *Dominus ſtatuit regnum cœlorum non niſi baptizatis poſſe conferri, quod quia vires naturæ non habent conferri neceſſe eſt per gratiæ libertatem.* Ecce quam clarè gratiam agnoſcit, quia naturæ vires ſuperat regnum cœlorum, atque ideò naturæ per juſtitiam nullo modo deberi poteſt. Ex quo proinde

Cap. 5.

Ibid. c. 7.

Lib. 5. cont. Iul. c. 1.

Lib. de pecc. orig. c. 5.

manifeſtè videtur conſequi, vel delirare Auguſtinum qui de hujuſmodi ratiocinatione tanquam invicta gloriatur: vel ſi ejus autoritas iſtud ſuſpicari non ſinit, ſupernaturalem eſſe illum ſtatum quem Pelagiani parvulis tribuunt, & cui ſoli per juſtitiam debitum eſt regnum Dei. Talibus enim tanquam filijs debetur *patrimonium* regni Dei, quia talium tantummodò veluti adoptatorum filiorum eſt pater Deus. Quid quod eodem modo, ut ſupra de vita æterna diximus, etjam ſuperfluum eſſe baptiſmum ipſis Pelagianis judicibus putet, ſi parvuli in illa naturali innocentia, bonitateque ſine ulla peccati originalis vel actualis labe

*Lib. 3. de pecc. merit. c. 13.*

naſcuntur. *Id enim agit iſta diſputatio*, ait Sanctus Doctor, *contra cujus novitatem antiqua veritate nitendum eſt, ut infantes omnino ſuper uo baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata ſalubriter Eccleſiæ conſuetudo violatores ſuos ferre non poſſit.* Et in ſermonibus de verbis

*Serm. 10. c. 2.*

Apoſtoli: *quid neceſſarium ergò habet infans Chriſtum ſi non ægrotat?* Et in operibus contra Iu-

*Lib. 2. operis imperf. ſ. 113*

lianum: *qui eſt forma futuri, quia ita Chriſtus trajicit in eos* (parvulos) *juſtitiam, ſicut Adam peccatum; ita Chriſtus vitam ſicut Adam mortem: alioquin à forma Chriſti alienarent, & Chriſtiani non erunt. Quod quidem ſentitis ſed apertè dicere formidatis.* Vbi apertè docet Auguſtinus ex hoc ipſo, quod parvulis nihil peccati in baptiſmo dimitteretur, conſequi, neque vitam neque juſtitiam ab eis in baptiſmo accipi, nec eos fieri Chriſtianos, atque hoc ipſum tacitè ſentire Pelagianos tanquam qui id conſectaneum eſſe ex illa ſua opinione perſpiceret. Cujuſmodi ratiocinationes quas tandem contra Pelagianos vires habent, ſi non niſi naturalem quandam à peccatis immunitatem qualem in brutis cernimus parvulis tribuunt, vitam verò atque juſtitiam Sancti Spiritus, cui regnum cœlorum & ſupernaturalis felicitas debeatur, tan- C tummodò per baptiſmum afferri volunt? Nam iſtos multoque ſplendidiores effectus tribuiſſe baptiſmo Pelagianos, poſtea fuſius demonſtrandum eſt. Hac ergò unica diſtinctione facilè eſt eis omnia hujuſmodi Auguſtini tela retundere, & ejus conatus inſignes vanitatis arguere atque convincere; vel certè neceſſario fatendum eſt Auguſtinum nullo modo latuiſſe quod ſupernaturalem quandam vitam, ſanctitatem atque juſtitiam in illa naturali parvulorum innocentia includerent.

Quod quidem ex alio capite magis adhuc evidenter videtur ſequi. Nam etjam vitam illam ſupernaturalem animique ſanitatem, quæ baptiſmo infunditur parvulis, fruſtra eis impertiri docet; ſi parvuli juxta Pelagium per illam à peccatis innocentiam ſine morte peccati vivi, ſine peccati ægritudine ſani ſunt. Et qui hoc ſequitur, ſi non niſi vitam ſanitatemque naturalem intelligunt, cui per bapti- D ſmum vita gratiæ & ſanitas ſpiritus afferatur? Audi cum ſtomacho ferientem Pela-

*Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. ſ. 386*

gianos: *Vt quid cum eis ad baptiſmum vivificatoris* A *& ſalvatoris ſimulatione damnabili curritis, quos vivos ſanoſque laudando vivificari ſanarique non vultis?* Nonne vitam parvulos ſanitatemque illam quæ in baptiſmo datur, jam antequam baptizentur eos habere contendit? Ex quo fit ut de iiſdem parvulis dici poſſe arbitretur:

*Serm. 10. de verb. Apoſt. c. 2.*

*Auferte hinc innocentes iſtos, non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus: Non enim venit Chriſtus vocare juſtos ſed peccatores.* Nonne apertè in Pelagianorum ſententia conſtitutum putat, etjam ſanos juſtoſque eſſe parvulos, ea juſtitia atque ſanctitate quæ baptiſmate conferuntur? Nam ſi aliam intelligunt quid ad rem argumentum Auguſtini facit?

Quin etjam quod toties Auguſtinus & Innocentius premunt ſine participatione corporis & ſanguinis Domini vitam æternam parvulis obtineri non poſſe, non tantum ſupernaturalem felicitaté in futuro ſeculo, ſed etjam B ſupernaturalem vitam atque juſtitiam in præſenti eos parvulis adſcripſiſſe convincit. Locus enim, niſi manducaueritis & non habebitis vitam in vobis, de utriuſque ſeculi vita ſupernaturali apertè intelligendus eſt. Ideò enim ille qui non manducaverit carnem & ſanguinem Domini non habebit vitam æternam in futuro ſeculo quia ſine illa manducatione non habebit vitam juſtitiæ in præſenti ſeculo. Atque ita de utraque promiſcuè eum contra Pelagianos Auguſtinus intorquet. *Cur*, inquit,

*Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. ſ. 237.*

*miniſtratur ſanguis qui de ſimilitudine carnis peccati in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, ut habere poſſit vitam ſi de nulla peccati origine venit in mortem* &c. *Iam dic evidenter quod latenter ſentis, quoniam ſatis prodis tua diſputatione quid ſentis: dic, inquam parvulos fruſtra fieri Chriſtianos.* Quomodo in Pelagiana opinione ſequitur, *parvulos fruſtra fieri Chriſtianos*, niſi id totum eos habere ſtatuant, quod Chriſtiano baptiſmo datur? Quid hoc C autem, niſi adoptio filiorum & juſtitia quam infundit ſpiritus Dei.

Ex quibus profectò, aliiſque pluribus quæ afferri poterant, manifeſtè liquet pleraque Auguſtini argumenta ſupponere pari paſſu Pelagianos vitam ſupernaturalis juſtitiæ parvulis in hoc ſeculo tribuiſſe, & vitam æternam ſupernaturalis viſionis Dei in futuro promiſiſſe. Vel certè ſi neutrum eorum verum eſt atque utrobique non niſi naturalis innocentiæ vitam paremque æternæ vitæ felicitatem intelligunt, utrobique Auguſtinum ineptiſſime diſputaſſe: & adverſariam ſententiam atque diſtinctionem diſſimulando, tenebraſque offundendo fraudibus potius luctatum eſſe quàm viribus. An & ſic dicemus Pelagianos interpretaſſe ſuam ſententiam? Sed nullum talis mutationis extat veſtigium. Vna quoque in iſta opinione refutanda apud Au- D guſtinum apparet facies, non minus in fine vitæ quo pleraque quæ adduximus argumenta conſcripta ſunt, quam cum primum hæreſis iſta oriri cœpit.

Solvun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Solvuntur difficultates ab Auguſtino motæ.

## CAPVT XXIII.

QVIS igitur ex iſto labyrintho evadendi modus? Breviter ſi poſſum, dicam, quia profundior veritatis illius uſque ad radices inveſtigatio multa præmitti poſtulat, quæ hic inſeri ordo doctrinæ vetat, & oportunius in libris de ſtatu puræ naturæ deducenda ſunt.

Fixum firmumque eſſe debere arbitror, Pelagianos non niſi naturalem quandam innocentiam ac vitam ac ſanitatem in hac vita naſcentibus aſcripſiſſe, nec vitam æternam aliam quam naturalis cujuſdam felicitatis ſine baptiſmo decedentibus promiſiſſe. Quorum unum expreſſis verbis in terminis ſæpius dicunt, alterum ita indicant, ut res ipſa ſententiam eorum clamare videatur. Et ſane hoc ita poſtulat univerſa doctrinæ Pelagianæ facies atque connexio, ut eos qui Pelagianos vitam felicitatemque ſupernaturalem parvulis unquam promiſiſſe contendunt, non ſatis Pelagiana principia penetraſſe ſine injuria dixeris. Quod quamquam utcumque ſupra declaratum eſt, infra uberius demonſtrandum eſt. Quæ vero pro ſupernaturali vita felicitateque ex Auguſtino proferuntur, non niſi nuda conſequentiarum eſt obſervatio atque collectio, quæ ſi autorum principia lateant, fallere minus perſpicacem ſolent. Neque enim ulli Auguſtinus expreſſe dicit eos vel in futura vita beatitudinem ſupernaturalem claræ illius viſionis Dei ſine baptiſmo parvulis eſſe pollicitos, vel in præſenti juſtitiam veram atque adoptionem filiorum Dei: hanc enim ſexcentis locis non niſi baptiſmo paruulis conferri docent, ut ſuo loco de effectibus baptiſmi juxta Pelagianos dicturi ſumus.

Vt igitur quid ſibi Auguſtinus velit intelligatur, ſciendum eſt, ſtatum illum quem poſſidere parvuli ſive in præſenti ſive poſt hanc vitam in quadam æternæ vitæ felicitate finguntur, ex Pelagianorum quidem ſententia ut diximus non eſſe niſi puri putique ordinis naturalis, ad quem natura humana ſolis ſuis viribus aſſurgere poſſit: duplicis tamen generis complecti conditiones. Aliæ prærogativę tam ſingulares ſunt, ut ab homine obtineri nullo modo queant; niſi eas Deus gratuita ſua & ſupernaturali gratia largiatur: aliæ tam enormes humanæ naturæ contumeliæ, ut peccatum aliquod propter quod infligantur præceſſiſſe convincant.

Prioris generis ſunt, eſſe innocentem ac ſine peccato, non eſſe mortuum animo, eſſe ſalvum ac ſanum, ac ſine ulla peccati ægritudine, denique naturaliter ſive in præſenti ſive in æterna vita ſine animæ damnatione & perditione eſſe felicem. Poſterioris ſunt ignorantiæ, libidinibus, morbis, omnibus hujus vitæ ca-
A lamitatibus, diaboli vexationibus, morti ipſi eſſe obnoxium; ac denique poſt hanc vitam ſeparari à regno Dei. Monſtrum igitur fuit ille commentitius Pelagianorum ſtatus ex humano corpore belluinoque compoſitum, hoc eſt ex diſparibus & repugnantibus membris, natura & gratia peccato atque natura conflatum. Quod quam verum ſit de ſingulis ſuo loco fuſiori diſputatione declarandum eſt. Cum ergo Divus Auguſtinus cæleſtis ingenij profunditate cerneret ſtatum illum ſive æternæ vitæ poſt mortem corporis, ſive temporalis illius quem in hoc mundo parvuli obtinere fingerentur propter prioris generis prærogativas non poſſe cuiquam ſine divina gratia & conſequenter ſine fide Chriſti, ſine baptiſmo, ſine manducatione corporis & ſanguinis Domini, hoc eſt ſine incorporatione in Chriſti corpus obtingere, hinc eſt quod illis uſus ſit ar-
B gumentis quæ ſupernaturalem ſtatum atque beatitudinem parvulis à Pelagianis tribui, ſupponere ac perſuadere videantur, cum ipſi ex ſemetipſis & de propoſito nil hujuſmodi unquam ſenſerint, ſed tantummodo iſtud ex eorum opinione præter intentionem conſequatur. Nam ſimili planè modo propter poſterioris generis conditiones illius ſtatus ſexcenties Auguſtinus conſequi docet aliquod omnino peccatum in paruulis, ſive originale præceſſiſſe cujus merito eorum innocentia gravi iſto jugo temporalis vitæ puniatur, nec tamen rectè inde ſequi dixeris Pelagianos hanc totam vitam hominibus pœnalem & ſupplicij loco impoſitam docuiſſe. Hoc enim in eorum opinione non explicite juxta eorum mentem continetur, ſed implicite contra mentem invenitur; neque tam verbis exprimitur, quam argumentis extorquetur.

Quæ ſi vera ſunt ſicut vera eſſe tantiſper hic
C ſupponimus donec alibi, ubi proprius locus eſt, ita eſſe demonſtremus, manifeſtum erit non eſſe neceſſarium vt vel Pelagiani ſupernaturalem parvulis beatitudinem ac ſtatum ſive in præſenti ſive in futuro ſeculo, ſive oriente ſive occumbente hæreſi parvulis tribuant vel ſi naturalem dumtaxat tribuerint, ut Auguſtinus in arguendis Pelagianis intolerabili abſurditate nugetur. Non enim quid dicant aut ſentiant, ſed quid eorum dicta atque ſenſa contineant reſpicit & examinat: atque ex uno capite impoſſibilem eſſe videt hujuſmodi felicitatem ac ſtatum quem illi naturalem ſtatuunt niſi eum per ſupernaturalem gratiam divina bonitas largiatur; ex alio capite itidem impoſſibilem, niſi per divinam juſtitiam peccantibus tanquam ſupplicium imponatur. Quam ſuam abſurditatem cum Pelagiani argumentis fracti animadverterent in miris an-

guſtijs conſtituti æſtuabant ut ſuam ſententiam quoquo modo ſive ſtatus ſupernaturalis in naturalem mutatione tuerentur; quod cum difficillime fieri poſſe cernerent, hinc eſt quod Auguſtinus dixit eos *laboraſſe ut quærerent parvulis extra regnum Dei neſcio cuius ſuæ felicitatis locum, maxime quando convincuntur non eos habere poſſe vitam æternam quia non manducaverunt carnem nec biberunt ſanguinem Chriſti.* Non enim indicat ullam in eis beatitudinis ſupernaturalis in naturalem mutandæ cogitationem, ſed ejuſdem ſententiæ tuendæ ſollicitudinem & anguſtias cum etjam illam ipſam æternam vitam, quam eis quaſi naturalem aſcriberent eos habere non poſſe ſine Chriſti gratia & extra corporis ejus unitatem convincerentur. Si enim, cum hoc diceret Auguſtinus, indicare vellet jam eos opinionem ſuam abiecta vitæ illius ſupernaturalis defenſione mutaſſe, ſtultè ſanè poſt illum etjam librum in ipſo vitæ ſuæ fine, iiſdem rationibus, ſcripturiſque ad eos debellandos uteretur. Difficultates igitur quas in tuenda illa naturali, quam putabant, beatitudine paterentur, non mutationem ullam ex ſupernaturali in naturalem indicare Auguſtinus voluit: Quos æſtus eorum etjam alijs non paucis locis exprobrando commemorat. Hinc in libris contra Iulianum: *Et quid vobis eſt de quæſtione baptiſmatis laborare, utrum ſit vita æterna præter regnum Dei, an vita æterna privandæ ſint innocentes tot imagines Dei, ac per hoc æterna morte plectendæ?* Vbi ſimul utrumque difficultatis caput tangitur tam ex parte gratiæ quam peccati, ſine quibus ille ſtatus conſtitui nequit. Et in libris de peccatorum meritis, qui tamen in ipſo hæreſis illius ortu ſcripti ſunt cum adhuc beatitudinem vitæ æternæ ſupernaturalem parvulis promiſiſſe creduntur, *a quibus tamen cum quæritur utrum non baptizati & non effecti cohæredes Chriſti regnique cælorum participes habeant ſaltem beneficium ſalutis æternæ in reſurrectione mortuorum, laborant vehementer nec exitum inveniunt.* Et omnium apertiſſimè in libro de peccato originali perhibetur, Pelagius ita ſolitus reſpondere quærentibus, ut diceret: *Sine baptiſmo parvuli morientes quo non eant, ſcio, quo eant, neſcio.* Hoc eſt interprete Auguſtino: *Non ire in regnum cælorum ſcio; quo verò eant ſe neſcire dicebat, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam, quos & ſic nihil mali commiſiſſe ſentiebat, & originale traxiſſe peccatum non conſentiebat.* Vides Pelagium aperte profiteri ſolitum ſuas anguſtias atque ignorantiam de ſtatu ac felicitate parvulorum: quia mortem perpetuam innocentibus ſuis infligere vetabat juſtitia, vitam æternam hoc eſt qualemcumque fingeret naturalem beatitudinem eis polliceri Auguſtini argumenta prohibebant, talis enim qualiſcunque vita, atq; beatitudo obtineri non poteſt niſi anima vivat, mors enim animæ beatitudo eſſe non poteſt: vivere autem non poteſt anima, niſi vivat ex Deo. Nam ut anima corporis, ſic animæ vita Deus eſt. *Vivit* autem *anima ex Deo*, ut Auguſtinus, *cum vivit bene: non enim poteſt bene vivere, niſi Deo in ſe operante quod bonũ eſt.*

*Lib. de præ-deſt. SS. c. 13.*
*Lib. 6. c. 4.*
*Lib. de pecc. orig. c. 21.*
*Lib. 13. de civit. Dei c. 2.*

Ex quo manifeſtum eſt veram vitam animæ qualemcumque ſive temporaneam in hoc ſeculo ſive æternam in regno vel extra regnum Dei, gratiam omnino, ideoque baptiſmum omnis gratiæ januam & incorporationem in Chriſto, in Divi Auguſtini ſententia poſtulare. Nam ut alibi dicit, *vitam æternam, id eſt, ſine ullo fine felicem* (neque enim aliud æterna vita ſupra vitam ex Deo niſi perpetuitatem dicit) *ſolus ille dat qui dat veram felicitatem.* Sed uberior ſententiæ Divi Auguſtini indagatio & veritatis ejus demonſtratio non eſt hujus loci. Hoc tamen in verbis Pelagij citatis QVO EANT NESCIO, obſervandum puto, quod cum illis etjam ante condemnationem hæreſis ſuæ ſoleret uti, (nam ſtatim à *condemnatione* liber ille Auguſtini ſcriptus eſt) jam tum initio cum de natura felicitatis illius quam parvulis promittebat, æternæque illius vitæ conditione fluctuaſſe & apertè ſuam ignorantiam confeſſum eſſe. Quid mirum igitur ſi neque nos, quid ipſe ſenſerit, liquido demonſtrare nequeamus? Nam & Auguſtinus quamvis naturalem ab illis prædicari ſtatum non ambigeret & reipſa tamen propter conditiones quas involverat, ſine ſupernaturali gratia obtineri nullo modo poſſe ſentiret, utrum tamen ſecundum eorum ſententiam in clara vel obſcura vel etjam nulla Dei viſione conſiſteret ſemper hæſitans incertuſque fluctuavit, hinc enim illæ locutiones hæſitationis indices, quibus illum ſtatum vocat, [a] *neſcio cuius felicitatis locum:* & [b] *beatam quandam vitam ſuam*; item: [c] *quietis vel felicitatis cuiuſlibet atque ubilibet, quaſi medium locum.* Vſque adeò ut etjam dubitet utrum Pelagiani Deum in illo felicitatis loco parvulis regnare conſtituant. [d] *Dicite obſecro,* inquit, *in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit, ulluſne regnabit an nullus?* Et cetera quæ ſupra commemoravimus. Nec mirum cum nunquam ſuam ſententiam plenè legantur clariſque verbis explicuiſſe. Hoc ſolum videtur certum de Pelagianorum ſenſu tenuiſſe, quod illa felicitas quam extra regnum cælorum parvulis tribuunt, inferioris notæ ſit. Nam illud clarè voluit quando dixit: [e] *in loco aliquo ſecundæ felicitatis, quam talibus ædificavit hæreſis veſtra.* Et quando dixit *promittunt eis æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Sed utrum ideò *ſecunda*, quia tantummodò extra regnum cœlorum, hoc eſt, extra ſocietatem Chriſti atque Sanctorum eadem Dei clara contemplatione naturaliter fruerentur, an quod ipſa Dei contemplatio adeoque tota illa felicitas in ſeipſa longè eſſet inferior nullibi apertè profitetur. Nec verò moveat quod clara Dei viſio multum naturæ vires ſuperet cum tamen beatitudinem non niſi naturalem eos fabricaſſe docuerimus. Reipſa ſiquidem naturam ſuperat non ita tamen neceſſe eſt in iſtorum hæreticorum ſententia. Nam & illa quam naturalem dicuntur tribuiſſe poſtea felicitatem tales conditiones implicat ut etjam naturæ vires juxta Divum Auguſtinum excedat. Nec tamen ideò rectè dixeris tunc Pelagianos ſupernaturalem

*Lib. 6. de civit. c. ult.*
*Lib. de pecc. orig. c. 21.*
*Lib. 2. de tract. c. 50.*
*a Lib. de præ deſt. SS c. 13*
*b Lib. de Hæreſibus Hæreſi 88.*
*c Lib. 1. de anima & de eius orig. c. 9.*
*d Lib. 2. cont. Iul. operis imperf. f. 319*
*e Lib. 1. oper imperf. f. 182*
*Lib. de Hæreſibus ad Quodvult Deum Hæreſi 88.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turalem parvulis beatitudinem promiſiſſe. Quid enim magis naturam ſuperat quam divina illa charitas Dei, hanc tamen etjam ſolis naturæ viribus aſſcripſerunt. Non ergò inſolitum, ſed ſolemne atque perpetuum Pelagianis fuit ut dona Dei reipſa naturam longè lateque ſuperantia nudis viribus humanæ libertatis aſſcriberent. In hoc enim errore propriè hæreſis Pelagiana ſita eſt. Atque hæc ſufficiant ut Auguſtinus rectè errores iſtos confutaſſe videatur.

## De ſtatu adultorum ſine fide moraliter bene viventium, poſt hanc vitam.

## CAPVT XXIV.

QVID de adultis ſine fide Chriſti in morali quadam bonitate morientibus ſenſerint Pelagiani, non ita liquidè ex eorum ſcriptis colligi poteſt. Vt ab incertis certa diſcernamus. Duplex hujuſmodi adultorum ordo ſtatui poteſt, unus eorum qui Deum verum ex creaturis agnitum & ſicut Deum glorificando coluerunt: hoc enim adultos quoſlibet ſive fide Chriſti, ſive gratia potuiſſe, dogma fixum & veluti aliorum cardo eſt inter Pelagianos. Alter eorum qui nec Deum quidem verum agnoſcendo, morum civiliter bonorum opera temporalis commodi fine metiuntur. Satis itaque certo videtur colligi primis illis vitam æternam, regnumque cœlorum propter meritum juſtitiæ quam naturæ lege fecerant, à Pelagianis promiſſam eſſe. Sic enim contra Pelagium loquitur Auguſtinus: *Evacuatur autem crux Chriſti, ſi aliquo modo præter illius Sacramentum ad juſtitiam, vitamque æternam perveniri poſſe dicatur quod in libro iſto agitur*, nempe Pelagij, qui ut ex capite ſecundo colligitur, ſtatuebat poſſe homines *credendo in Deum qui fecit cælum & terram & rectè vivendo eius implere voluntatem, nulla fide paſſionis Chriſti & reſurrectionis imbutos.* Et Iulianus: *Sicut nemo præmia virtutis meretur niſi qui ad ea, poſt incarnationem tamen Chriſti ſanctitatis eius imitatione contenderit.* Vbi ſignificat etjam ante incarnationem Chriſti per eos qui Chriſtum non agnoverunt præmia virtutis eſſe promerita. Quæ vero iſta præmia niſi vita æterna & regnum Dei? Nam inter eos qui ſola natura duce Deum juſte colerent, & qui Chriſti gratia, hoc eſt ſolo ejus exemplo juſtitiam pietatemque ſequerentur, nullam Pelagiani ſtatuunt differentiam. Ex quo Auguſtinus ibidem tanquam connexum colligit, etjam poſt incarnationem Chriſti, ſiquis aliorum exempla juſtorum intuendo rectè viveret, eadem illa præmia virtutis debere promereri. *Itane vero iſti virtutis præmia non merentur?* Quod in eodem libro Iulianus clare docens: *Antequam*, inquit, *Verbum caro fieret, ex ea fide quæ in Deum erat, in Prophetis & in multis alijs ſanctis fulſere virtutes: veniente autem temporum plenitudine exacta in Chriſto juſtitiæ norma reſplenduit, & qui prædictus fuerat pater futuri ſeculi tam præcedentium Sanctorum quam etiam ſequentium remunerator emicuit.* Quænam autem iſta ſit per Chriſtum allata vel afferenda remuneratio paulò ſuperius dicit: *Sui imitatione, qui erat virtutum forma & norma, correctis gloriam beatæ æternitatis indulſit.* Imò & ex lege ſola fieri homines *benedictionis Abraham hæredes*, apertiſſime tradit, *nec ante legem, juſtitiam & fidem* (in verum Deum) *remunerationis ſuæ fructibus eſſe privatum; nec ad truncatas ferro carnes, ſed ad illuſtres probitate mentes promiſſionis illius gloriam pertinere.* Quæ manifeſtè indicant eandem regni cęlorum remunerationem tam Ethnicis ex fide unius Dei rectè viventibus quam Chriſtianis Pelagianos tribuiſſe. Major perplexitas eſt, quem locum ſecundi generis hominibus poſt hanc vitam ſtruxerint. Vbi iſtud in primis certum eſt, ſi virtute civili ſine cognitione Dei rectè viverent æternum ab eis ſupplicium damnationemque removiſſe. Indicat hoc non obſcurè diſputatio illa cum Iuliano, ubi cum Auguſtinus interrogando inſtaret: *An fortè iſtis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babiloniçam dilectionem, & virtute civili non vera ſed veriſimili dæmonibus vel humanæ gloriæ ſervierunt, Fabricijs videlicet & Regulis, & Scipionibus, & Camillis cæteriſque talibus ſicut infantibus qui in baptiſmate moriuntur proviſuri eſtis aliquem locum inter damnationem regnumque cœlorum; ubi non ſint in miſeria ſed in beatitudine ſempiterna?* Reſpondet Iulianus: *Erunt ergò in damnatione ſempiterna in quibus erat vera juſtitia?* Quod quid eſt aliud, quam tanquam verum admittere quod Auguſtinus velut abſurdum inferebat? Ideoque Auguſtinus admirans Pelagianæ vocis impudentiam; O vocem, inquit, impudentia majore præcipitem. Nec ſanè mirum videri debet, eo abſurditatis prorupiſſe Iulianum. Qui enim veram in iſtis hominibus juſtitiam fuiſſe putat, quid ni etjam juſtitiæ comitem felicitatem adjungat? Nam ut contra eoſdem rectiſſimè dicit: *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt de vita æterna &c. Non enim injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ.* Vnde radices præcipitis illius erroris amputans, *non erat*, inquam, *in eis vera juſtitia.* Nec ſolum extra damnationem ſed etjam in ſempiterna quadam beatitudine tales adultos ab eis fuiſſe collocatos ex eadem Iuliani confeſſione videtur conſequi. Quid enim poteſt aliud extra damnationem regnumque cœlorum ſupereſſe. Hoc enim & nihil aliud, eſt locus ille medius quietis atque

*Lib. de natura & gra. c. 7.*
*C. 2. ibid.*
*Lib. 2. operis imperf. cont. Iul. fol. 350.*
*Ibid. f. 401.*
*Fol. 360.*
*Fol. 369. & 370.*
*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*
*Lib. de nat. & gratia c. 2.*
*Lib. 4. cont. Iul. c. 3.*

ſelicitatis quem parvulis fabricarunt. Vbi [A] enim nihil miſeriæ ſive damnationis eſt quid præter felicitatem fingi poteſt? Et quid felicitas niſi vita æterna? [Lib. 6. de civit. Dei c. 12.] *Eam quippe vitam æternam dicimus ubi eſt ſine fine felicitas.* Ita igitur non minus adultis ſine fide veri Dei moralem juſtitiam ex naturæ lege ſervantibus, quam parvulis non baptizatis beatitudinem quandam extra damnationem ac regnum Dei, hoc eſt, vitam æternam tribuunt. Vbi enim non eſt æternæ mortis damnatio, quid niſi æternam vitam eſſe ſtatuemus?

Sed una gravis hic difficultas naſcitur, nam Iulianus paulò poſt ex alio pulſatus latere: [Lib. 4. cont. Iul. c. 3. verſus finem.] *Ego*, inquit, *ſteriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt non ab eo vitam conſequuntur æternam.* Vbi apertè negat eos vitam æternam à Deo ſuis operibus promereri: eo quod ſteriliter bona ſunt, atque [Ibid. ſupra.] ideò ut ſupra dixerat, *quia ad temporalia diriguntur, præmij exilitate fruſtantur.* [B] Duo ſunt quæ ad hanc difficultatem reſponderi poſſunt. Primum quidem ſui ipſius, doctrinæque ſuæ oblitum eſſe Iulianum. Hæreticis enim omnibus maximeque Iuliano frequens eſt, dum unum dogma tueri ſtudet, in alio ſectam ſuam lethaliter vulnerare. Vt ij qui latus unum conantur pugnando tegere, ictui in alio latere præbent locum. Non ergò conſentaneè hoc dicendo Pelagianis principijs loquebatur. Quod vigilanter advertens ſtatim etjam exprobrando in frontem ejus Auguſtinus illuſit: *Iuſtus ergò Deus & bonus, bonos eſt in mortem miſſurus æternam? Piget jam dicere quam multa te ſequantur inſana talia ſentientem, talia dicentem, talia ſcribentem* &c. Alterum fortaſſe melius dici poteſt notanter dixiſſe Iulianum, *non ab eo vitam conſequuntur æternam,* velut præmium videlicet bonorum operum. Vita enim æterna quam Deus velut præmium [C] bene operantibus reddit, nihil eſt aliud quam *regnum cœlorum* ſeu *regnum Dei*, quod nemini datur in præmium niſi qui propter Deum

[A] ipſum bene fuerit operatus. Vnde Auguſtinus quaſi exponens quid per illam vitam æternam à Deo dandam intelligeret Iulianus, ſtatim ſubjicit: *Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere*, veluti merces ſcilicet talibus meritis reponenda. Nam vita æterna qualem parvulis adultiſque moraliter bene viventibus pollicentur, non eſt præmium bonorum operum quæ fecerunt, ſed eos quodammodo naturam conſequens innocentium. Nulla enim æquitas videtur pati, ut innocentia naturalis morte damnetur. Hanc autem innocentiam cum Gentiles hujuſmodi bene moraliter ex naturæ lege vivendo ſervaſſe ſtatuantur, quid mirum ſi illis etjam in iſta bona vita decedentibus æterna vita, ſive æterna quædam felicitas non veluti præmium operum rependatur, quod non niſi in tempo- [B] ralium bonorum affluentia Iulianus collocat, ſed velut donum innocenti bonæque naturæ conſonum tribuatur.

Quam ſententiam videtur ab Origene paululum interpolando ſuxiſſe Iulianus. Nam ille ex profeſſo docet, vitam æternam quam & regnum cœlorum vocat, *nullius eſſe, niſi qui credat in Chriſtum renatuſque fuerit ex aqua & ſpiritu.* [Lib. 2. in c. 2. ad Rom.] Quod ſiquis tamē ſive Iudæus, ſive Grecus legem naturæ ſervando *juſtitiam teneat, miſericordiam diligat, caſtitatem & continentiam ſervet, modeſtiam lenitatemque cuſtodiat*, quas eadem ſeriè virtutes tangit Iulianus, *atque omne bonum operetur bonorum operum gloriam, & honorem & pacem perire non poſſe.* Hoc tantum inter illos diſcrimen video, quod Origenes fidem ſaltem unius Dei poſtulet, Iulianus etjam ſine fide Dei felicitatem illam ſuam pro Pelagiana liberalitate largiatur. Illis enim qui cum fide unius Dei propter ipſum, bona quæ fecerint [C] operantur, etjam *vitam à Deo æternam conſequi*, hoc eſt, intrare in regnum Dei ſeu regnum cœlorum ut ſupra dictum eſt fuſius, arbitratur.

FINIS.

CORNELII